F

Int

SI

PA

G

Cis

T

in lo

Cust

Apud

Prof

Digitized by Google

MENSONIS ALTING,
DESCRIPTIO
F R I S I A E
Inter Scaldis portum veterem & Amisiam,

SEU

INTER SINE & EMESE:

SECUNDUM MEDII AEVI SCRIPTORES.

Quæ est

PARS ALTERA NOTITIAE

GERMANIÆ INFERIORIS,

Cis & ultra Rhenum, Quà hodie est in Dicione

VII-FOEDERATORUM,

Repræsentata

TABULIS GEOGRAPHICIS IX.

& COMMENTARIO

in loca ferè omnia, hoc tractu, Germanicarum & Francicarum Rerum Scriptoribus, ac Medii Aevi Monumentis, memorata;

Ab Emancipatione Francorum, Imp. Justiniano, ad XIII. Seculi finem.

Cuncta, ad litterarum ordinem, sic digesta, ut ipse Commentarius *sit* Tabularum *quasi* Index, *ex quo depromtu facillimum, quæ Lector desiderare poterit.*

AMSTELÆDAMI,

Apud HENRICUM WETSTENIUM.

CIƆ IƆ CCL

Prostat Ibidem apud ROD. & GERH. WETSTENIOS, H. FF.

Digitized by Google

AUTHORIS
PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

COnſenuit annus alter, Benigne Lector, quòd rationes Tibi expoſuerim e manu mittendi *Partem Priorem Notitiæ Regionum, quæ VII-Fœderatorum Auguſtam Rempl. hodiè conſtituunt, ſecundum tempora Romanorum:* meque Tibi reum conſtituerim conſcribendi & *Alteram, ſecundum Rerum Germanicarum & Francicarum Scriptores, ac Medii illius Ævi monumenta.* Certus ſolvendi votum, niſi irritum facerent ſiniſtri ſermones emiſſa carpentes. Quorum, cum, vertente anno primo, nihil aures meas percuſſerit, ſubiit audentia denuò admovendi manum tabulæ; ne nihil agerem, ſub id temporis fortè ſolito magis otioſus, vel ſaltem minus negotioſus. Congeſſi itaque, atque eundem in ordinem, quo priora, digeſſi una hyematione, quia non ultra ſuppetebat otium, quicquid maximè ad inſtitutum facere videbatur. Prætermiſſa eſſe bene multa nullus dubito, cum non omnia tot ſeculorum monumenta, aut habere aut perluſtrare licuerit; quædam etiam effugerint diligentiam meam; atque non pauca ſtudio neglecta ſint, ceu inania vocabula omni ſitûs ſignificatione deſtituta, nec tanti, quæ morarentur properantem & confeſtim nauſeantem à ſen-

tinæ, cui exhauriendæ me alligatum ſentiebam. Fœdam innuo Barbariem, quâ obſita omnia, quibus utendum. Exantlavi tamen, ſed imbutus gravi odore, qui ſubinde & nares tuas feriet. Ita enim mihi conſtituendum fuiſſe ſatis intelliges; ut Barbaræ voces ſemel explicatæ, deinceps fuerint retinendæ: quia novæ rei vix aptum vocabulum Latinum vetus, quo omnes ejus termini circumſcribantur. Quæſo igitur à Te ut haut gravatè impertias liberum commeatum *Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Canonicis, Capitularibus, Circatoribus, Plebanis, Cappellanis, Altariſtis: Marchionibus, Comitibus, Caſtellanis, Burgraviis, Gaſtaldis, Baronibus*, cœteriſque *Feudalibus, Vaſſis & Vaſallis: Baliviis, Droſſatis, Villanis, Scabinis, Sculdaciis*. Cuique cum rebus omnibus, quæ ſuæ ſunt *Abbatiæ, Præpoſituræ, Decanatus, Canonicatûs, Capituli, Circatûs, Eccleſiæ, Cappellæ, Altaris, Cluſæ Cloſtrive: Marchionatus, Comitatûs Cometiæve, Caſtellanatûs, Burgraviatûs, Baronatûs, Feudi, Balivatûs, Officii, Juriſdictionis, Villicationis, Scabinatûs, Curtis aut Curtilis*. Non auſim cogere plura, ne agmen horreas, ſingula haut magno incommodo præteragi paſſurus: ſcilicet quòd olidum pecus diſperſim vagans non adeò fœtore gravet, quam agminatim coactum. Incides præterea in præſentis ævi vocabula, quæ nec mediæ nec priſcæ ætatis ſunt, quia locis indita quorum celebritas diu poſt invaluit hodieque prævalida eſt: ideoque nobis, quadam neceſſitate, uſurpanda, ut certiùs ſignificetur ſitus eorum de quibus agimus. Noſti enim, ad demonſtrationem rei dubiæ, cer-

tiorem

tiorem viam nullam esse, quàm à cognitissimâ lucem quærere.

Authoritates, quibus usus sum, jam dicere occupavi, & plenius cognosces ex Catalogo Operi præmisso; plenissimè vero ex subjecto Indice allegatorum, qui usus maximi quod ad Diplomatum ætates. Sunt autem Scriptores, Tabulæ, Monumenta, edita, non edita, quotquot habere potui eorum, quæ XIII. Seculi finem anteverterunt; cum paucis, quæ proximè attigerunt, quo in numero & Joannes a Beca, ceu pænè æqualis, suo merito censitus. Vetustiorum & Recentiorum non alia ratio fuit, quam Testium atque Interpretum, quorum Nomina Autoribus permista, dicto in Indice exhibui. Cœterùm, brevitati studens, non omnium adduxi testimonia, qui loci alicujus meminêre; sed illorum tantum, qui cujuscunque situm maximè firmant.

A certissimis *argumentis* non semel aliquid firmamenti petitum esse vix improbare poteris.

Conjecturis sæpissimè indulsi; Sed nunquam, nisi necessitate adactus: Locis obscurioribus nempe quærenda fuerunt nomina & situs, quibus hodiè cluent. Quod factum feliciùs vel infeliciùs, prout Regiones aliæ aliis magis minusve mihi frequentatæ & perspectæ, perquam conscius mihi sum. Veniamque peto, si quid audaculum nimis Tibi videatur. Certiora adducturo & gratias summas habebo & lubentissimum præstabo obsequium. Omnino offirmatus, hac super re, cum nemine mortalium contendere, atque integram relinquere suam cuique sententiam.

Si quid lucis accessisse judicaveris ab *interpretatione* crebra *Barbararum Germanicarumque vocum*, quarum singulos Syllabos adjicere quoque visum fuit, tuæ benevolentiæ acceptum feram. Habes fere, Amicissime Lector, quæ ipsum *Commentarium* spectant; Si unicum adjecerim, me posuisse *locorum situs citra & ultra, intra & extra fluvios*, more Veterum, ab Urbe quondam Domina, partes in omnes procedentium.

Tabulas huic fundamento superstruxi numero quidem plures, quam Parte I. sed instituto & methodo planè pari. Aucti numeri ratio potissima fuit, mutata, plus unâ vice, Regionum facies, quarum unaquæque, secundum sua tempora, fuit repræsentanda, adeoque Tabulæ multiplicandæ: ut tanto distinctius oculis animisque exhiberentur crebræ illæ mutationes & vicissitudines, quas, hoc Medii Ævi, passa est Frisia. Cum verò haec, post Colonos Francorum nomenclatione emissos, accessione Saxonum protulerit nomen & fines in Scaldis Portum Veterem & Egidoram seu Cimbricum Isthmum, Tabula

I. exhibere debuit Summariam Universæ Descriptionem, secundum illa tempora. Ex hac præcisæ Quadraturæ VIII. ad quas concinnaret Chalcographus totidem Tabellas, quarum, quæ ordine ad Summariam

II. continet illam Frisiæ partem, quæ hodie VII-Fœderatorum est, & præsentis Operis materies, non alia facie quam quæ durasse creditur sub Francorum reditum.

III. Frisiam, quam Carolini fecerunt haereditariam

riam inter Scaldim & Kinnemum, necdum mutatâ facie.

IV. Hæreditariæ hujus Partem I. cis Mosam, quæ *Wasda* Carolinis, quia Zelandiarum Frisicarum maximè occidua; Ottonibus variè divisa, quorum ideo tempora præcipuè respicit.

V. Hæreditariæ Partem II. quæ complectitur Comitatus & possessiones Gerolfi, Theodorici I. & II. Marchionatus titulo mox insignes, tandemque *Comitatus Hollandiensis*, secundum Henricorum tempora.

VI. Hæreditariæ Partem III. seu *Trajectini Episcopatûs Dicionem* intra Vechtam Ulteriorem, cis & trans Isalam; Unà cum *Gelria*, itidem ad Henricorum tempora.

VII. Frisiam Liberam à Kinnemo in Amisiam; illa facie, quâ fuit ante eluviones.

VIII. Liberæ Partem I. quæ *Westfresia*, uti fuit post eluviones Seculi XIII.

IX. Liberæ Partem II. & III. à Flevo in Lavicam, quæ *Ostfresia*, & hinc in Amisiam, quæ Circaria seu *Groningana*; Cum *Transvechtanâ Episcopatûs Trajectini Dicione*, iterum post eluviones Seculi XIII.

Quibus omnem Regionem, satis accuratè partitam, atque cujusvis Partis diversam diversorum temporum faciem luculenter repræsentatam credidi.


Locorum vocabula & posituras, si primâ fronte tibi appareant minus rectè signata, ne protinus aversеris obnixè Te rogo, Æquissime Lector, quasi recedentia â recepta vulgo opinione: Sunt sanè ejus generis non pauca. De his, ne quid inclementius statuas,

ſtatuas, percupio ut prius conſulere non dedigneris Commentarium, ac ſedulo ſerioque perpendere Authoritates, argumenta, rationes, quæ me eò permoviſſe cognoſces: Si quà forte & Te dimoverint à diverſa, quam hactenus foviſti, ſententiâ, vel confirmarint in eadem mecum. Quod ſi mihi non licuerit eſſe tam beato; ſufficiet meruiſſe tuam attentionem, quæ approbationem non invenerint. Neque ob id, me Tui minùs obſervantem fore credas, uti nec ego Te mihi minus faventem. Honeſtis namque conatibus, bono publico ſuſceptis, licet non magno ſucceſſu, inſultare boni Viri non eſt; Viciſſim iraſci æquo judicio, peſſimi. Quod abſit quam longiſſimè ab utroque noſtrûm!


Denique ne moram mihi exprobres nimis velim: Neque verò mea culpa eſt, quòd, dum hæc ſcribo, non deſudaverit prælum, quod madefieri potuit in hanc rem, jam à Vere vertentis anni, ſi ita rei ſuæ conſultum putaſſet Vir Ornatiſſimus & Doctiſſimus, cujus curæ & induſtriæ debetur Partis Prioris elegans editio, iterumque hujus Poſterioris, unà ſimul modum juſti Voluminis tandem implentium. Rei prolatæ cauſſas, ſi Te ſcire æquum duxerit, pro ſumma, quâ eſt, humanitate ipſe Vir Integerrimus Te edocebit. Vale, Mi Lector, &, ſi quid hæc Te delectent aut juvent, me bene mereri utcunque conantem favore tuo ſublevare dignator. Dabam Groningæ Friſiorum a. d. VIII. Idus Novemb. A°. Æræ Chriſtianæ cIↃ IↃ CXCVIII.

In


Google




BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI
Digitized by Google



NAPOLI
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
Digitized by Google




NAPOLI
Digitized by Google




MANICUS.
ORIENTALIS
EMISGOAE
PARS
Norden
DOLLARTVS SINVS.
REIDENSIS TERRA
CIRCARIA inter EMESE et LAVEKE.
Midage
EMISGONIAE
RIORIS
PARS.
Part. II. Tab. IX

NAPOLI



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III · NAPOLI

Digitized by Google




BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

Google

Digitized by Google

Digitized by Google



FRISIAE LIBERAE
Francorum
XIII.
WISTRACHIA
AUST
OCEANUS
TEXELA
Texla Aar
WESTFRISIA
COMITATUS
STAVERO
ZUTHER ZEE.
BORNEDA SINUS
Franeker
Bolswarde
Staaria
Medimblae
Enchusa
Horna
Alkmaar
Harlem
Uch
Muyderberg
Amstelredamme
Sloten
53
54

NAPOLI


RMANICVS.
ORI
BANT
INS.
ENTALIS
EMISGOAE
HVNSIN
FRESIA CIRCARIA
INTER EMESE et LAVEKE
Vulgo GRONINGANA
PA
BENTHEM
EMISGONIAE SVPERIORIS PARS.
Part. II. Tab. VII.

NAPOLI




NAPOLI



Pars III.
FRISIAE
HAEREDITARIAE seu
TRAJECTINI EPISCOPATUS
GELRIA.
ad Henricorum Tempora
Auctore
MENSONE ALTING.
Triens Gradus.
Part. II Tab. VI
M I M I G E R
B E N T H E
M I E N S I S
N E
C O M I
F O R D I
T A
T U S E N S I S
D I Œ C E S I S
P A R S.
Bergum
Lare
Ulsen
Almelo
Thedden
Goor
Threnden
Enze
Borthem
Borkelo
Groenlo
Bredevoort
Langbare


Digitized by Google

Digitized by Google



NAPOLI

Google




53
Z V T H E R A
Z E A.
E
R
C
Swanoodrecht
H I S L A M.
I N T E R L A C V S.
L A K E et I S L A.
H O L L A N D T.
P A R S.
52
Part. II. Tab. V.

NAPOLI




BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Digitized by Google




NAPOLI
Digitized by Google

Digitized by Google




Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI



Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI
d by Google


A N V S
O C E A N V S
M.
Fosetesland
Fosforum Insula.
VII. Z E L A N D I A.
ALBIS FLUVIUS
VI. Z E L A N D I A.
IIII. Z E L A N D I A.
E M I S G O E.
Norden
OSTERGOE
V. Z E L A N D I A.
III. Z E L A N D I A.
S T E D I N G I A.
W I G M O D I A.
SAXONIA INFERIOR
S A X O N E S
I N T E R I O R E S, qui et
A N T I Q V I, distinctim à
Littoralibus et Frisiis.
Gerard de Broen fecit Amstelodami
Part. II. Tab. I.
Colonia
Valckenburch

Digitized by Google

TABULA PTOLEMAICA
GERMANIÆ MAGNÆ
QUADRIPARTITÆ,

Ad veram ab Æquatore diſtantiam revocata,

E T

Expoſitione ſuccinctâ illuſtrata.

MENSONIS ALTING

SUCCINCTA EXPOSITIO

TABULÆ PRÆCEDENTIS,

Quâ,

Prælibatis perpaucis de Ptolemæi modo tractandi Geographiam in genere;

Strictim disseritur de conditione

IV. CLIMATUM, in quæ Ptolemæus Germaniam Magnam partitus est.

Tum

De seorsùm singulis, singulorumque Opidorum thesibus, de omni adeoque structurâ,

Ratio quædam percursoriè redditur, & plurima explanantur, hactenus longè aliter accepta traditaque.

EXPOSITIONIS

CAPUT PRIMUM.

De Geographiæ Ptolemaïcæ immoto fundamento, errorum caussa, mendis & emendationis ratione.

TErrarum Orbem, parallelis circumſcribere, atque ex lucis quantitate, Gradus Latitudinis; aut contrà ex Latitudine, longiſſimi diei modum metiri & liquidò demonſtrare, artis Geographicæ baſis & fundamentum eſt, duobus operandi mediis à Claudio Ptolemæo præclariſſimè expoſitum. Aſt plagas tantùm & quidem cœli potiſſimum deſignans, niſi acceſſerit ſuperficies à certiſſimo terræ loco, idque ad exactiſſimam libram: Quæ ſi, vel latum unguem, inclinaverit uſquam, vanum evadet opus, immò impoſtorium. Etenim dierum & Graduum Latitudinis modus, regulæ & Legis inſtar habet fallere neſciæ; Facti verò, Locorum terræ diſtantia, nulli ſatis explorata ubique, ob proprii experimenti inopiam, vel alienæ relationis fallaciam. Ita Ptolemæus Geographorum antiquorum, qui exſtant, locupletiſſimus & facile Princeps, utut Legis illius callentiſſimus & obſervantiſſimus; ignoratione facti tamen, multiplices nobis obtruſit errores Tarteſſiâ murænâ grandiores; maximè in Parallelis arcticotatis. Cujus veram rationem ſubodoraſſe, mihi viſus ſum, in Commentario AD FLE'UM, inde repetendam. Si quà fortè Latitudo, diei modo minus congrua, occurrat, id oſcitanti Exceptori unicè, graviſſimo Authori neutiquam vitio verterim: Et emendatû, uti proclive, ita tutum putarim, ſecundùm ſuam ipſius doctrinam.

Qui igitur, ſublectis Ptolemæi, theſibus quantumvis erroneis mendoſiſve, ejuſdem Tabulam Germaniæ Magnæ, inter alias, nobis exhibuerunt, Hiſtoriæ Germanicæ, quod par erat, non tam facem præluxiſſe, quam nebulam offudiſſe videntur, uſque adeo à vero locorum ſitu aberrantes; licet etiam non pauca mutarint: ex verane ratione an ſuô arbitratu? nec ipſi ſignificant, nec mihi inquirere animus eſt. Cæterùm ut Geographia hactenus, veri oculi officium Hiſtoriæ noſtræ præſtet, haut commodius effici poſſe crediderim, quàm ſi poſitiones Ptolemaïcæ, qualeſcunque hodiè exſtent, illorum quidem locorum, quæ non dubiæ elevationis, revocentur ad veram poſituram; Et mendoſæ aliæ, optimâ ratiocinatione & probabili conjectura emendentur. Cui rei adjumentum maximum commodabit ipſe Ptolemæus, per IV. Climata ſua, quibus totidem Germaniæ partes ſeorſum diſtinguere, includere, percurrere & deſcribere voluit.

CAPUT SECUNDUM.

De IV. Climatibus Germaniæ Magnæ, ad Claudii Ptolemæi merum arbitrium.

PTolemæus nusquam Climatibus, ubique Parallelis Orbem partiri certus, solam Germaniam M. in IV. Climata tamen dispescit; Arctica duo, Australia totidem (*). Ita ut singula seorsum percurrat, ab extimo ad Occidentem loco in quovis Climate, ad supremum Orientis, opidatim semper, nisi liquida subsit ratio, in ortum progrediendo; sed modò sursum ad Arctum, modò deorsum ad Austrum flectendo. Complexus horum Climatum spatio, in Latitudine, Gradus IX. duabus unciis minus. Loco enim versus septentriones supremo, ex falsa hypothesi assignare voluit Gradus LV. cum decunce. Infimo verò versus Meridiem Gradus XLVII. sed manifestò & quidem reduplicato errore. Cum utrique Thesi falsa adhæreat elevatio, indeque æque falsa inter utramque oriatur differentia. Ambo quippe loca, ex nomine servato, satis nota certissimam pandunt Latitudinem; TREVA nempè seu Treva in ipso Isthmo Cimbricæ Chersonesi Gradus LV cum triente: Et USBIUM seu Usben / in Danubii ripa Gradus XLVIII. itidem cum triente, ut tota differentia sit VII. Graduum tantum. Quod ipsum præsignificasse maximoperè refert, ut, cognitô quintæ partis excessû circiter, id est, in universâ Latitudite M. P. C. simul intelligatur à quàvis singulorum Locorum in arctum ascendentium differentia quintam quoque particulam pro rata esse rescindendam, licet ab una plus ab altera minus, prout res postulat; saltem tot numero scrupulos, quot Centenariam explere queant.

(*) Geogr. Lib. II. cap. XI.

Cæterùm Climata hæc non esse vulgaria, binorum Parallelorum singula, vel ex modo dictis satis liquet: Præterquam, quòd Paralleli Ptolemaïci VIII. arcticotati, quibus Germania procul dubio includitur, non VII. tantùm Gradus, vel VIII. cum decunce, uti Author habet, sed totos XVIII. conficiant. Ptolemæus itaque, pro arbitrio, sibi posuisse videtur hosce cancellos, describendis Germaniæ Magnæ Opidis: Eosdemque ne quidem æqualiter distantes; sed naturalibus præcipuorum fluminum terminis distinctos. Ita ut Arcticum Primum terminetur in ipso Ostio Rheni orientalis. Alterum Lupiæ exitu, aut paullo longius. Australe Primum Mœnô. Infimum Danubiô. Vix tamen est, quòd hasce lineas adeò examussim observet, ut non alicubi modicum transiliat. Uti hæc omnia ex dicendis distinctius intelligentur.

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

De Primo Climate Germaniæ Transrhenanæ, ejusque Opidis.

PRimum Clima continet omnem Germaniæ Magnæ tractum maritimum, à Gradu LIII. cum triente, ad LV. cum totidem unciis, adeoque intervallum M. P. CXX. in Latitudinem: Licet in Ptolemæi Codicibus, positû etiam utrinque diversô, XXV. minus reperiantur. Hoc autem in spatio nobis exhibet Poleis seu Opida undeviginti, quæ si affixis thesibus æstimarentur, procul à littore sub fluctibus forent omnia, paucissimis exceptis, quibus fortè in Cimbrica Chersoneso, vel ad ultimum Orientis promontorium, aliquis terræ locus assignari posset. Sed hi nævi, qui verè ipsius Ptolemæi sunt, una, quod ajunt, fideliâ semel debent abstergi, repositâ ubique verâ ab Æquatore distantiâ, de qua, cùm certi nihil resciverit Author, huc saltem animum advertisse liquet, ut Locorum proximorum inter se distantiam, ex fictis positionibus colligendam ederet, prout acceperat; Gradu quandoque unô propior ab Arctô, quam verum est. Ideoque haut opus erit, theses promiscuè omnes, quæ solis locorum distantiis indagandis jam nobis inserviunt, justum in ordinem redigere; sed Librariorum errata, quoties res postulat, corrigere sufficiet. Quo vel maximè conducibile erit, certos in primis terminos, in omnes cardines posuisse, qui indaginis instar à migrando nos terreant. Sunt autem hoc Climate FLEUM ad Occasum, ASCAUCALIS ad Ortum & Meridiem pariter, RHUGIUM denique & TREVA, si Latino interpreti fides, ad Arctum. Omnes iisdem pæne vocabulis hodieque noti.

De FLEO satis demonstratum in Commentario. ASCAUCALIS ex solo situ, licet abesset vocis similitudo, clarissimè innotescit; esse scilicet, Haschelitz ad Vistulam, Opidum aluminis proventu nobile. RHUGIUM, quid sit, detegit Locus hac parte Germaniæ arcticotatus, qui est ad occasum Sinus Venedici, dictus Ahiesen-haupt / id est, Giganteum Promontorium. Magis etiam liquet de TREVA Opidorum Occidentalium hoc climate maximè arctoum; uti mox demonstrabitur, ubi sublectis Ptolemæi vestigiis, eò deventum fuerit.

Primus itaque ad Occasum Locus, est FLEUM, in Commentario jam satis assertus.

II. SIATUTANDA, de quo etiam affatim dictum.

III. TEKELIA, perversè, si quid capio, in hoc clima translatus; pertinet enim ad secundum, ubi nulla nominis mutatione hodieque perdurat, Tekelborg sc. tot Passuum Millibus à *Siatutandâ* disjunctus, quot ex Ptolemæi thesibus colliguntur: Sed in hoc erratum,

b 2 quod

quod veræ hujus distantiæ rationem ab ortu æstivo, infelici divinatione inierit, quæ ab hiberno erat petenda. Insigni documento; Locorum à se invicem distantiam ad Ptolemæi notitiam quidem pervenisse; Longitudinem verò & Latitudinem non æquè: Igitur facessat hinc *Tekelia*, & fiat nobis Locus *Tertius*, FABIRANUM, quem in ortum æstivum M. P. XCIV. à *Siatutanda* dijunctum comperimus, atque adeò ad illud Promontorium, quod *Caucis Minoribus* ad Albim arcticotatum est. Nominis quidem vestigium exstat nullum, quia fortè cum ipso loco, Amnis & Oceani collisis fluctibus planè intercidit.

IV. Est TREVA hinc ad eandem plagam M. P. LIV. remotus, ubi & hodiè superest, in ipso Chersonesi Isthmo, nominis mutatione ferè nulla; Trepa enim vocatur Opidum ab amne cognomine, antiquis temporibus, cùm incerta Oceani exquisitissimè vitarentur, frequentatissimum, propter mercium ab Oceano subvectionem huc usque, atque earundem transportationem, hinc itinere terrestri M. P. VIII. admodùm, in Slesium Sinum Suevicumque Mare quod hodiè desuevit, navigandi arte jam excultissimâ. Atque hic Primi Climatis terminus ad septentriones ultimus est:

Thesis namque, quæ in Græco Exemplari est λ'γ. δ'. νδ. γ'ε.

Librarium mendi manifesti arguit; cùm sequens eadem sit numeris omnibus, quod positû absurdum.

Unde & Latinus Interpres non dubitavit reponere 33. 15. 55. 40.
Equidem verò, propter rei evidentiam, malim 33. 0. 55. 50.

Succedit Locus V. LEFANA. cujus thesi scrupulos XV. in Longitudine, superiori detractos, arbitrarer addendos, ut sit distantia, pænè tota in Austrum, M. P. LXX. & amplius pertingens ad Albis ripam, proximè ab eo loco, in quo surrexit florentissimum Emporium *Hamburgium*. Num quæ vocabuli similitudo superet in viciniâ? me omninò latet, nec adeo refert, tot antiquis nominibus ubique oblitteratis. *Lefanam* sequitur

VI. LIRIMIRIS, à cujus thesi, in Longitudine notam 22. demendam suadet, immo jubet locorum proximorum evidens situs: Ut distet à præcedente M. P. LIII. versus Subsolanum Aquilonarem, & incidat ad Lacum, qui *Lubecam* inter & Mare est, ideò MIRIS, quasi Meer / dictus Ptolemæo; cum cognomento, quod sonô à LIRI non abhorret, veluti Lierer-Meer / aut huic affine.

VII. & VIII. Locô, occurrunt DUÆ MARIONES, secundùm theses Ptolemaïcas, nequaquam hâc Continentis orâ inclusæ: igitur missis iis, alia indagandi via ineunda: Principio dictum est; Tractum

Tractum Maritimum heîc deſcribi ab Occaſu in Ortum ſemper: Cùm autem *Lirimiris* ad Maris Suevici littus jam accedat, conſentaneum eſt ipſas *Mariones* ſitas putare eodem in littore Ortum verſus; & quidem tantâ ſitûs ſimilitudine, ut Utrique idem nomen, vel ideò, fuerit tributum. Cæterùm cùm exiguæ Peninſulæ duæ hoc tractu inter *Chaluſi* & *Suibi* oſtia reperiantur; vix dubitem haſce, *Marionum* vocabulo, deſignari; maximè cùm Occidentalis, in ſubjecto hodiè Opido **Wißmar** / priſcum nomen, ſine vitio, renovarit; Germanis enim **Wißmar** planiſſimè denotat *Occidentalem Marionem*, cui *Altera* Peninſula eſt *Orientalis*, eademque quæ *Suibi* æſtuario adjacet, vulgò **Dartz** dicta. Reliquorum Locorum theſes percommodam diſtantiam edunt ferè omnes, ut non magnoperè urgeat ratio, quicquam in illis mutandi. Proximus, qui

IX. vocatur KOINOENUM ſitu *Straleſundæ* percelebris Pomeraniæ Opidi, uti quidem colligitur ex diſtantiâ M. P. XX. in ortum hibernum ab *Orientali Marione*, & alterâ M. P. LXX. P. M. à loco deinceps proximo, cujus vera poſitura ſic pariter illuceſcit.

Eſt autem X. ordine ASTUIA, incidens in ripam *Viadi fl.* ubi Pomeraniæ Metropolis **Stätin** / non inſolenti metatheſi, hoc nomine à Ptolemæo indicata.

XI. Porrò ALISUS diſtantiâ M. P. XXXII. in ortum æſtivum, pertingit ad Oſtium Orientale *Viadi*, ejuſve æſtuarium, ubi Opidum *Camin*, ſedes quondam Antiſtitis Pomeraniæ ulterioris;

Et XII. LACIBURGIUM, hinc, in ſubſolanum potiſſimum, per M. P. XLI. ad Lacum vel in Lacu, qui in Jamenſem Sinum exoneratur, & illud Caſtellum, cui hodiè nomen **Caſimirsburg**.

XIII. BUNITIUM, ab hoc in Subſolanum Vulturnium M. P. XX. malim Borealem, ut ſitu referat Opidum littorale **Rügen-wald**.

XIV. VIRUNUM recedit in ortum hibernum M. P. XLVII. ad *Vipuræ* fontes & primum Pomerelliæ Opidum **Peterkaw**.

XV. VIRITIUM eodem vergens M. P. XXXV. ad *Brodum* fluvium Opidumque **Conitz**.

XVI. Locus, quem RHUGIUM vocari initio dictum, hinc abeſt, ferè in Septentrionem, M. P. XC. Hoc autem Promontorium, disjunctum habens in meridiem M. P. XLIV. Locum

XVII. SCURGUM, palam facit ejuſdem ſitum, ad *Viſtulam* nempe, paullo ſupra *Dantiſcum*, vel ſi unciæ à primo ſcrupulo, non à quinto & ultimo putentur; quòd ſanè licet; erit illud ipſum Emporium, dudum univerſi Maris Suevici Princeps. Eadem comprobante Loci ultimi &

XVIII. ASCAUCALIS poſiturâ ad M. P. LIX. in meridiem deflectente, de qua ſuprâ.

Atque hactenus de Climate I. & Tractu Maritimo; Cujus etiam orientalia quodammodo expedire licuit, utpote quæ haut paullo perſpectiora

ſpectiora Romanis fuiſſe apparent, quàm reliquorum, ſaltem mediorum, quô minimè penetrarunt: Cùm Maris Suevici littora in Viſtulam uſque facilè legere & explorare potuerint, qui cum L. Domitio, vel Ducum alio, *Albim* longiſſimè tranſgreſſi ſunt.

Caput Quartum.

De Secundo Climate Germaniæ Transrhenanæ Ejuſque Opidis.

SEcundum ſui arbitrii Clima extendiſſe videtur Ptolemæus, à Rheni Oſtio ad Lupiæ confluentes aut paullô ulterius; atque adeò in duos propè Gradus Latitudinis; Licet alicubi extra cancellos vagetur, diſtantiâ 3. Unciarum ultra hos Gradus duos. Loca ab occaſu proxima, ſunt duo prima. Ab ortu, ultimus *Setidava*. Ab arcto *Mediolanium*, *Aſcalingium* & magis aliquanto *Suſudata*, præter *Tuliſurdum* evagantem. Ab auſtro, *Bogadium*, *Stereontium*, *Lupſurdum*, *Stragona* & omnium maximè *Canduum*, modò non Climatis hujus expers. Orditur autem Geographus ab ASCIBURGIO; licet Locus II. NAVALIA momentô vix obſervabili in occaſum magis vergat; Scilicet ne inepto recurſu opus eſſet progreſſuro in arctum ad III. MEDIOLANIUM. Unde regreditur in ortum hibernum ad IV. TEUDERIUM; De quibus, omnia in Commentario explicata, heic repetere non attinet. Quæ ſequuntur Loca *V. VI. VII.* ex priſcis nominibus clariſſimè nota, theſium quandam tum correctionem, tum emendationem poſtulant; Sic

V. Bogadium	30.	15.	52.	10.	locô	30.	15.	52.	0.
VI. Stereontium	31.	0.	52.	0.		31.	0.	52.	10.
VII. Amasia	31.	30.	52.	0.		31.	30.	51.	0.

Quæ enim inter *Teuderium* & *Bogadium* colligitur diſtantia M.P. LXXX. in auſtrum (mediâ ferè *Tekeliá* à Ptolemæo per errorem, de quo ſupra, in arctum remotâ) nos ducit examuſſim ad locum ultra Lupiam Bog-gede ſeu Bogge / veteris nominis ſic ſatis retinentem. A *Bogadio* devenitur ad *Stereontium* itinere M. P. XXX. verſus ortum potiſſimum, Ubi arx vetus Sterrom ſeu Storm; & ipſa ſitum nomine comprobans. Inde aſcenditur in arctum per M. P. XX. quaſi, ad *Amaſii* fontes Embſpring / à quibus Opido nomen Amasia fecit Author. Iterùm progreſſu facto in arctum M. P. XXXI. pervenitur ad Viſurgim & Opidum Holtz-Münden / vocabulo referens MUNITIUM, cui locus VIII. tributus.

IX. Porrò in arctum porrectus M. P. XC. admodum, vocatur TULIFURDUM, & aſſurgit in I. Clima; Quem tamen

tamen nostro secundo accensere maluit Ptolemæus, quia ad tractum maritimum nequaquam pertineat, ceu à mari longius & intra Albim. Pertingit autem ad *Luna* amniculi Locum, vadô transiri solitum, eaque propter tho Lünefurde fortè dictum, proximè à celebri Opido Lüneburg.

X. In Austrum modicè deflectens, distantiâ M. P. XXIV. ASCALINGIUM dictus; in Opido Ultzen seu Ultzing haut procul ab hoc situ, aliquod nominis vestigium reliquisse, videri poterit. Uti &

XI. TULISURGIUM, hinc M. P. XXVI. (quibus fortè demenda pars quinta) itidem parumper in meridiem, in Opido altero Luneburgensi Tilisen. Succedit

XII. FEUGARUM. M. P. LXV. recta ferè in austrum, incidens in Confluentes *Salæ* & *Albis*: Nomen non obscurè sortitus ab illa amnium coïtione, quæ Germanis VERGARUNG.

XIII. CANDUUM in eandem plagam pergit ad M. P. LVII. ubi propè, Castellum Weissenfels/ id est, *Candida Rupes*, à qua sumptum videtur vocabulum Romanis, ore Græco in hunc modum forte corruptum. Et licet ultra Clima aliquantillum procurrat, nihil tamen temerè muto in thesi, cum utrinque situ satis commodô sit: Præterquam quod consentaneum fuisse videatur, simul cuncta expedire ad Salam, cujus Climate sequenti nulla ratio amplius; Neque exemplô careat. Ab hoc autem *Canduo* iter vertit Author in arctum ad Locum

XIV. TROPÆA DRUSI. M. P. XXCIX. qui ipsi citra Albim extremus; Ut certi esse possimus, hactenus in ortum plus justo non processum. Dio enim Author est; Drusum, ultimâ expeditione ad Albim, à proposito trajiciendi destitisse, & positis ibi Trophæis, iisque (tradente Floro) (a) ex Marcomannorum spoliis, retrò cessisse. Incidit situs propè Stendel Opidulum, quod ita cum vulgo appallare malim, quàm Steindal cum etymologiæ curiosis. Cùm Stendel sit diminutivum à Stender/ quod nobis denotat quicquid erectum statuitur, uti hæc TROPHÆA, quæ & nominis ratio Germanis esse potuit. Ecquis erit, qui collatis hisce omnibus ad Ptolemæi theses, non ultro largiatur; omne subsidium in locorum distantia positum; in Longitudine & Latitudine verò perexiguum vel nullum, certè fallax admodum, nisi à nomenclaturæ perseverantia vel affinitate, junctâ cum posituræ modo, accedat quoddam firmamentum? Cùm Romanis à limine tantum visi, minimè perspecti, ut præcedentes, ideoque ab ipsis etiam distantiis minus explorati vel fortè planè ignoti fuerint. Præterquam quod vocabulorum similitudo in his partibus rarissima; quia à paucis obscurè allata, non nisi malè detortam pronunciationem ab ore Romano recipere potuerint, ne deinceps quidem, commercii inopiâ, emendatam, & jam pæne desperatam, Slavicis nominibus passim Germanicorum loco receptis. Unde dijudicatu difficillimum, quæ aut quibus in thesibus vitia lateant. Hîc autem crebrius quam usquam ante erratum, quivis opinor facilè agnoscet; maximè ubi perspexerit; quòd Ptolemæus inter theses *Tropæorum Drusi* & *Setidavæ*, quæ reliqui hujus spatii universa Longitudo est,

(a) Lib. IV. fin.

M. P.

M. P. CCCLXXX. numeret; cum nondum VIII. Meridiani, & reverà M. P. CCCXL. vix intercedant, ut alicubi M. P. XL. resectione omninò opus sit. Hoc ipsum, ne omni specie veri careat, non ordine singula, uti hactenus, prosequi visum est; sed primò statuere de illis, quæ conjecturâ omnium maximè probabili, vel etiam firmiore quadam ratione nituntur. Est autem in his SETIDAVÆ thesis, quæ ad orientem ultima & extremæ thesi Climatis superioris Longitudine æqualis, in Latitudine verò M. P. XLV. inferior, igitur haut procul ab Opido Brzesttje / apprimè justo positu, emendationis haut indigô. Huic proxima ad occasum est KALISIÆ thesis; per quam innui Opidum Kalisch facilè admitterent omnes, modò conveniret distantia M. P. XLII. Verum enim verò, cùm haut paullo plus distent Brzesttje & Kalisch / ARSONIUM loco *Kalisiæ* & vicissim reponendum arbitrarer, immotis numeris: Ita ut *Arsonium* illis M. P. XLII. à *Setidava* collocetur, eo ferè loco, ubi hodiè *Warsimou* vel *Colo*. Ad eandem prorsus distantiam à Kalisch/ quam Ptolemæus signat hanc inter & *Arsonium* M. P. sc. XXXII. Atque tantùm proficere datur à parte Orientis.

In Occidente trans *Albim* primus à *Drusi Tropæis* locus, ponitur

(b) Lib. IV. c. LUPPIA, cui alibi ([b]) insignem notam addidit Author, à quantitate diei longissimi. Hîc itaque non conjecturâ, sed demonstratione opus est: Tradit autem, *Amisiam*, cujus positura jam firmata est, à *Luppiâ* superari horæ quadrante, id est, hôc parallelô, Latitudinis gradû circiter unô: Quò etiam ascendit distantia, quæ signatur inter *Tropæa Drusi* & *Luppiam* M. P. XXVIII. sc. in ortum: Quamvis ex *Amisiæ* & *Luppiæ* thesibus, non ea colligatur distantia, quæ reverà utrinque intercedit; sed XLV. tantùm. Opidorum enim raritas non sivit hæc usque adeo ad amussim exigere, ut ne horarii momenti quidem disparitas sit, protinus M. P. IV. circiter Latitudini adjiciens vel detrahens. Utinam Ptolemæi omnia tam propè ad paucos scrupulos possent componi! Locus certe, qui huic situi proximus, Bernewitz nomine, edi tutò potest.

Quæ verò porrò intercedunt, inter hunc & *Kalisiam*, loca XI. reliqua, adeò respuunt scrupulosam hanc diligentiam; ut non, nisi plurimatum milliarium amputatione, hoc intra spatium, arctari & disponi queant; idque ex sola conjectura, eâque non minus audace, quam necessariâ; servata tamen in nonnullis ratione distantiæ, in plerisque etiam plagæ, ita ut vocabuli; si occurrit, affinitas, ordinis caussa habeatur potissima.

MESUIUM, Luppiæ proximè junctum versus arctum, commodè accipit situm ad Mechow vicum, in confinio Dicionum Brandeburgensis & Mekelburgensis, distantiâ M. P. XXXVIII.

ARGELIA videtur esse *Berelinum* ad amnem Sprevum, quondam fortè Longobardorum Metropolim; à præcedenti M. P. XLVII.

KALÆGIA, quam Kalaw Lusatiæ Opidum nomine refert, deflectens

flectens in meridiem magis, quam in ortum (quod Ptolemæus voluisse videtur) ad editam thesibus distantiam M. P. XXXVII. sic satis reperitur.

LUPFURDUM porrò distantiâ M. P. XLVII. (sed parte quintâ, minuendâ) ad Trajectum vadosum *Leipæ* amniculi & Opidum homonymum ejusdem Regionis. Ab hoc procurritur in arctum ad

SUSUDATAM per M. P. CXXXI. Sed haut dubiè longius quam par est, quia ultra Clima; ad quod utique (nisi subsit caussa gravissima) sistendus terminus; Ut incidat in Pomeraniæ Opidum **Banen** vel propè; milliarium parte quintâ rursum exundante.

COLANCORUM deinde succedit M. P. XXVIII. in austrum, eo ferè situ ad Viadum ubi hodieque & nomen superat, in Brandeburgensi Opido seu Vico **Colantze** / ad V. Lapidem, infra famosissimum Munimentum Custrinense.

Huic LUGIDUNUM in eandem plagam si Codicibus fides. Sed vehementer sollicitor suspicari hujus & sequentis Vocabuli *Stragonæ* præposteram positionem heic commissam, (quod ad ipsa vocabula scil., ad numeros non item) uti & supra ostensum in *Calisia* & *Arsonio*.

Qui enim Locus à **Colantze** distat M. P. LXIII. versus Austrum Orientalem, liquido deprehenditur esse **Sagan**/ Silesiæ Opidum præcipuæ dignationis; ipsâ voce STRAGONAM, modò stridor absit, proximè exprimens. LUGIDUNUM, deinceps ponenda, haut paullo clarius vestigium post se etiam reliquit, in penitissimo ejusdem Provinciæ Opido LIGNITS; Cui & *Lion*, & *Laon*, & **Leijen**/in repræsentando LUGDUNO quæque suo primas facilè deferent. Distat autem à *Sagan*, Eurum versus, reverà M. P. XLIV. longè satis pro Ptolemaïci Climatis modo, licet ipse ulterius vagetur, ad M. P. LI.

LIMIOSALEUM porrò, hinc rectà in Arctum surgens, commodissimè collocatur sub saltum Silvæ Aquiliæ propè Vicum **Lummerstorf** in Novâmarca. M. P. CX. à **Lignitz** / adeoque XV. minus, quàm Ptolemæi thesibus efficitur.

BUDORIGUM rursus in Meridiem delabens, notatur quidem M. P. LXX. distantiâ, sed majore, quam admittit *Calisiæ* jam fixæ vicinia, aut Loci interjacentis ratio, quæ M. P. LXVIII. poscit ad *Calisiam*; XXVIII. verò ad *Budorigum*, huc in arctum, illuc ad ortum. Ita ut haut integrum sit, ultra M. P. XL. heic numerare, idque ad illud ferè Posaniensis Palatinatus Opidum, cui nomen **Bukowiecz**.

LEUCARISTUS. Budorigo australis, eâ, qua dictum est, distantiâ M. P. XXVIII. planè incidit in locum ejusdem Palatinatus, quem **Köschowitz** vocant Sarmatæ, vocabulô, à veteri non omninò abhorrente. Hinc denique ad *Calisiam* supersunt illa M. P. LXVIII. rectâ in Subsolanum.

Atqui ad hunc prope modum Opida omnia pæne intra Climatis

c cancel-

cancellos ita revocantur; ut ubique, ex Ptolemæi instituto, fiat progressus in ortum. Theses verò singulas, vel pleraſque ſaltem, ad hanc normam exigere & emendare, proclive quidem foret, ſi otio abuti placeret, immò liceret. Illis ergò relinquendam hanc operam duxi, qui majore abundant.

CAPUT QUINTUM.

De Tertio Climate Germaniæ Transrhenanæ ejusque Opidis.

HOc Climate Tertio, ſi vera ineatur ratio, in Latitudine Intervallum M. P. C. non amplius comprehenditur; In Longitudine maximâ verò, ad DCXX. datur progreſſus. Inſcitiſſimi Librarii tamen, in Latitudine procuderunt M. P. CLXV. è contrario in Longitudine M. P. CCCCLV. tantùm. Ita ut ultimum Clima ad Danubium pænè totum includant; Et ad Viſtulæ curvaturam in ortum extenſiſſimam intra M. P. CLXV. non accedant.

Ptolemæus hîc enumerat Opida XXVII. quorum extima facit, ad Occidentem *Aliſum* primum. Ad orientem *Aſancam* ultimum. Ad Septentriones, præter Primum etiam penultimum *Carrodunum*. Ad Meridiem denique *Segodunum* ordine nonum. Sex priora, quæ Rheno, Mœno, & Viſurgi ad Melibocos montes continentur, Romanis quondam poſſeſſa, vel ſaltem ſæpiùs adita, non magno negotio veræ poſituræ reſtitui poſſunt.

I. ALISUM, ceu ad occaſum & arctum ſimul extremum, proditur non tantum poſitu, ſed nomine quoque, quod integrum ſervat eſſe Alſum/ vicum hodiè ad Rheni & Amiſaræ confluentes.

II. BUDORIS, diſtantiâ à primo in meridiem M. P. XXX. p. m., accedente ſuperſtitis vocabuli affinitate, itidem cognoſcitur eſſe Bodenrik ſeu Bonrik ad eundem Rhenum ex adverſo Opidi Zons.

III. MATTIACUM, id eſt, Mattiacorum Opidum, Tacito *Mattium* Gentis caput dictum, hinc M. P. LXXV. in ortum hibernum, firmam reddit conjecturam, quam Commentario *ad Taxandros* expoſui; eſſe Alt Wetter/ Haſſiæ ſuperioris quondam Opidum jam ſolo æquatum, reſuſcitatô tamen in Viciniâ nomine.

IV. ARTAUNUM, M. P. LI. magis in meridiem, Situm invenit cis Mœnum, haut longe ſuprà Werthaim; quæ hodiè in ulteriore ripa eſt, non abludente nominis ſono.

V. NOVÆSIUM, hinc remotum M. P. LXXVI. verſus ortum æſtivum, retinet, eôdem ferè ſitu, nomen Neps/ ad IV. Lapidem ab Kirchfeld Coburgenſis Dicionis Opido.

VI. MELOCAVUS, ad M. P. LIV. ſecundum theſes, ſed reverà paullo longius, in ortum hibernum procedens, non dubiè eſt Elnbog

bog Opidum in *Melibocis* montibus, ità Germanicè dictis à formâ cubiti ad amplexum curvati, quam repræsentant; unde Romani, & ipse Ptolemæus, voce malè tornata *Melibocum* fecêre; Ut nulla intercedat ratio, pro *Melocavo*, *Melobocum* hîc restituendi.

Jam deventum in Regionem, ubi Hospites, domi quantumvis lyncei, cœcutiunt, immo obmutiunt quoque ad vocabula non intelligibilia, ex vulgiverbio Bœmsche Dorpen/ nobis appellata. A Romanis, qui semel tantùm Maroboduo Regi huc suppetias ivêre, Druso Juniore Danubiani limitis Præside, vix quicquam subsidii: Cùm horum nihil, prætet *Bojohemum*, Marobodui Regiam & Castellum, ejusdem nominis cum ipsa regione, absque omni Sitûs significatione, ad posteros transmiserint: Insuperque Slavi posteà immigrantes cuncta dudum inverterint.

Igitur unicè recurrendum ad indicatas locorum distantias, licet sæpiusculè enormissimas; Eæque ita disponendæ & statuendæ versus arctum austrumque nusquam intermisso processu ab occasu in ortum, ut intra præscriptos cancellos contineantur omnia, situ quam maximè probabili, saltem minimè ineptô. Neque interest unde fiat initium, omnibus æque incertis. Ordinem itaque sequi heic commodissimum.

VII. Autem loco occurrit GRAVIONARIUM M. P. XIV. *Pragam* versus, nobis Vicus Bœmicus, id est, ignotissimus.

VIII. LOCORITIUM, planè in ortum M. P. LI. ipsius *Pragæ* sitû.

IX. SEGODUNUM, quia totius Climatis maximè australis, ad ipsum limitem tutò rejicitur, M. P. XXXV. à *Praga*, ubi proximè Czaslaw/ primarium Circuli cognominis Opidum.

X. DEVONA assurgit in arctum M. P. LVIII. ad ipsum Albis fontem. *Devonas* enim seu *Divonas* dixêre Celtæ fontes numinibus sacros; secundum illud Ausonii.

DIVONA, Celtarum linguâ, fons addite Divis.

XI. BERGIUM. Cui à Monte nomen, hinc M. P. XIX. in ortum, videtur esse illud Silesiæ Opidum, quod à re Divina, vel à Gothis, Gots-Berg cognominatum est.

XII. MENOSGADÆ concedi quidem potest, Ptolemaica distantia M. P. XXXVII. sed non tam rectà in ortum, quam pænè in austrum, ita ut situs conjiciatur ad Glacense Opidum Mittwalde. Quæ vero Græcæ nomenclationis ratio, ignoro juxta cum ignarissimis.

XIII. BICURGIUM & quæ sequuntur pleraque non plagæ tantum deflectionem, sed insignem distantiarum imminutionem pati necesse est. Tanta hîc thesium enormitas & excessus. Præsenti, quæ edit M. P. CVII. verè in arctum, pars media omninò demenda venit, ut infra *Alisi* Latitudinem M. P. XV. subsistat, nec ultra Bant Vratislaviensis Diœceseos Opidulum assurgat.

XIV. MAROBUDUM vicissim extenditur in austrum, quod par est; sed ineptissimè ad M. P. CXXXVII. cùm ne quidem medio situ, id est, vix gradu unô declinet. Esse autem putem Marobodui Re-

giam & Castellum, cujus vestigia, nominis saltem, exstant ad Lunæ saltum, & fontes Mari fluvii in loco **Marato** / cui, unà cum amne, suum pariter & Gentis vocabulum reliquisse videtur percelebris Maroboduus. Atque sic revocamur in viam, si fortè alicubi aberratum.

XV. REDINTOVINUM positurâ omnium maximè vitiosâ edit distantiam à præcedente M. P. CLV. eandemque in ortum longiùs quàm in Septentriones, contra omnem rationem; uti ex sequentibus patebit. Horum cuique verò, ut suus relinquatur locus, REDINTOVINO assignari nequeunt ultra M. P. XXV. & quidem in Arctum ferè omnia, ad locum, qui **Reichstain** Monsterbergensi Opido vicinus.

XVI. NOMISTERIUM, seu *Judicantis Prætorium*, Germanicè **Das Weichbild** / nomen Opido cuidam proprium fuisse haut existimo; sed quia, tum fortè unicum totâ Regione Tribunal, hoc solum attributum loco designando sufficeit. Qui cùm ejusdem Latitudinis deprehendatur cum BUDORIGE ad Rhenum, & M. P. XXXV. in arctum distet à **Reichstain** / sitû omninò convenit cum **Breslaw** / etiam hodiè Primariâ Urbe totius Regionis.

XVII. MELIODUNUM, à **Dupn** / id est, Monte appellationem trahens; cùm rectâ in Austrum vergat ad eandem cum *Marobudo* Latitudinem, vix alibi quàm in Monte **Wiesenberg** collocari poterit, non quidem gradibus duobus infra *Nomisterium* secundùm theses; sed unicô tantùm. Cæterùm **Wiesen** & **Meden** / æquè ac **Bergen** & **Düne** idem significantibus, *Pratensis* hîc *Mons* promiscuè **Wiesenberg** & **Medendüne** vocari potuit; Quam vocem ut proximè imitatus credatur Ptolemæus, haut inconcinnum reor, suspicari, pro *Melioduno*, MEDIODUNUM esse legendum.

XVIII. CASURGIS quâdam nominis similitudine videtur esse Opidum ad Confluentes Viadi & Nissæ, dictum **Schurgas**; licet haut longè ultra M. P. XL. à *Melioduno* arctum versus, contra theses, ultra M. P. LXX. edentes.

XIX. STREVINTA, M. P. XL. rursus in austrum declinans, eo pæne situ deprehenditur, quô hodiè Opidum **Tegerndorf**.

XX. HEGETMATIA prorsus Hellenisticæ compositionis vocabulum est, uti & alia plura *Menosgada*, *Leucaristus*, *Cœnoënum*, &c. quæ ex Germanico versa minimè credo; sed accommodata nominibus, cuique Opido propriis longe diversâ significatione. Veluti ex **Hogenmat** / Germanicè *Editum Pratum*, facilè formari potuit ore Græco HEGETMATIA, *Principatum stultitiæ* denotans.

Verum enim verò, cùm heic circum Opidum nullum, huic sono nomenclaturâ appropinquet, & Ptolemæus *Nomisterio* & *Hegetmatiæ* eandem tribuat elevationem, supra **Namslaw** Vratislaviensis Diœcesis Opidum ascendere haut licet, id est, ad M. P. LXIV. tantùm, neutiquam ad XCII. quæ thesium distantia est.

XXI. BUDORGIS. Distantiâ M. P. XXXII. ad Euronotum, proximè pertingit ad clarum Silesiæ Opidum **Oppelen**.

XXII.

XXII. EBURUM hinc M. P. LX. in Eurum verius quam in Notum, ex ſitu & nomine pariter cognoſcitur eſſe Byrum in ipſo Sileſiæ & Poloniæ confinio.

XXIII. ARSICUA, cui ab *Eburo* aſſignatur diſtantia M. P. XXXIX. ſed magis in meridiem quam par eſt, quia Viſtulam hîc tranſgredi non licet. Igitur hærendum in Germanica ripa, ubi exactiſſimo poſitu ipſa Regia Cracau/ non adeò longinquâ vocis imitatione.

XXIV. PARIENNA quo minus ſtatim occupet ſedem, quam diſtantia M. P. XXIII. verſus aquilonem demonſtrat, fortiter intercedunt Loca tria ultima, argumentis admodum ſplendidis, & quidem *Setuia* pæne apodicticô, terminos quaſi immotos ſibi vindicantia. Ut adeò *Pariennæ* ſitus nullus certo propior ſuppetat, quàm aliqua parte Intervalli, quod *Arſicuam* & *Setuiam* rectâ viâ intercedit.

XXV. SETUIA. M. P. XLIV. à *Parienna* verſus boream disjungitur quidem, ſed vix totidem abeſt ab *Arſicuâ*, idque rectà in arctum. Ubi integrum nomen etiam hodie exſtat in Opido Setzuin.

XXVI. CARRODUNUM longius à *Setuia* rejicitur in Septentriones, ad M. P. XC. ſcilicet, quàm Climatis Limen permittit; Vix M. P. LXX. in aquilonem ferens. Supereſſe ibi videtur priſci nominis veſtigium in Opido *Radom*.

XXVII. ASANCA denique, Locus totius Climatis anatolicotatus, hoc ſolô nomine ſe probat; *Sandomir* Opidum, utpote quô nullum intra Viſtulam magis orientale: præterquam quod diſtantia M. P. LX. p. m. in auſtrum, idem demonſtret, quinetiam vocabuli ſimilitudo, eòdem trahat.

Ex quibus denuò claret, nec longitudinis, nec latitudinis Ptolemaïcæ, rationem aliam haberi poſſe, quam ut aliquatenus commonſtrent, quam in plagam potiſſimum progrediendum: Neque Locorum diſtantias, maximè in Marobodui Regno, in modum propè Romanarum Provinciarum, opidis frequentiſſimo, eâ accuratione editas, ut Climatis cancelli & pauci quidam loci haut dubii ſitus, non impoſuerint neceſſitatem illas ipſas vice nonâ mutandi. Rei veritatem tamen acu tactam, tantùm abeſt ut aſſererem, ut plus minuſve demendum ſuadeam, ſi vel levicula conjectandi ratio ſuperveniat. Cæterùm hæc nihil officiunt quominus reliquorum poſituræ decentem receperint ordinem, licet longè diverſum à Ptolemæô & tot aliis, ſuperioris & noſtri ſeculi Geographis.

CAPUT SEXTUM.

De quarto Climate Germaniæ M. ejusque Opidis.

MEsembriotatum hoc Clima, ab australi Superioris limite, in Danubii fluenta extendi, per se patet. Loca in singulas plagas extima statuuntur ab Occasu *Tarodunum* I^{mum}. ab arcto *Cantiœbis* V^{tus}. ab austro *Usbium* IX^{nus}. ab ortu *Anabum* XIX^{nus}. & ultimus; verissimè cuncta. Nisi quatenus ad Istri fontes revocatum Tarodunum, Usbio fit Mesembrioterum. Neque in figendis singulorum Opidorum distantiis magnoperè erratum, si Sarmaticorum montium viciniam excipias, ceu recens cognitam: Quia Romanis hæc omnia ex propinquis Provinciis, Germania Prima, Rhætia secunda, Norico, Dacia denique, quà Jazyges sunt, fuêre perspectissima. Unde haut satis mirari queo, qui Ptolemæus, reliquis non adeò ineptè constitutis, in gradibus Latitudinis tam fœdè aberrare potuerit; ut Danubii Caput seu Istri fontem ultra Gradus XLVI. cum triente non provexerit, qui tamen vix infra XLVII. cum decunce subsistit: Cùm heic, uti in prioribus necessitate quadam factum, non conjecturalibus; sed veris thesibus demonstranda fuissent omnia ceu cognitu cuivis obvia: Librariis autem culpa imputari nequit ubivis commissa, impari licet & varia enormitate. Igitur viæ hactenus tritæ etiam hic insistendum. Factô initiô à notioribus aut indubiis; Quæ in duplici sunt differentia: Alia enim incorruptè vetera nomina custodivêre, adeoque nullum posituræ examen subeunt: Alia ex vocum similitudine, & distantiæ congruentia pariter, innotescunt.

Prioris generis sunt *Tarodunum* Torner-Berg / vel quod idem est Carnerdune / Bibacum Büchbach / *Usbium* Usben / *Filekia* Filek / seu Fülnek.

Posterioris verò *Alcimoennis* Altmühl, *Coridorgis* Chornitz / *Medoslanium* Meyssan / cujus loco si *Medoſſanium* fuisset scriptum, prorsus ad priorem classem potuisset referri, *Robodunum* (ut volunt) Brod / &c. quibus distantias, utrinque cum positu proximis intercedentes, aptari omninò convenit.

Ut autem Occidentalia, ex instituto, prius expediantur.

I. TARODUNUM est ad ipsos Danubii fontes, quorum ortus ex Abnoborum montium Jugo, cui hodieque nomen Tornerberg & olim Carnerdune intra XXV. Lapidem à proxima Rheni ripa: A *monte Brisiaco* verò paullò longius. Huic soli forte fortuna Ptolemæus veram addidit Latitudinem, quam & Capiti Danubii tribuere debuisset, atque secundum hanc normam reliquis omnibus.

II. BOMI FLAVII, Latinè *Aræ Flaviæ*. Hos flumen descendendo, M. P. XXCII. à fontibus abesse putat Ptolemæus, adeoque planissimè eodem in loco, ubi hodiè Urbs primaria transdanubiani tractûs ULM. Sunt & alteræ ARÆ FLAVIÆ cis flumen, in ipsa Provincia

vincia Romanorum, quæ Rhætia secunda, seu Vindelicia; M.P. XXV. paullo amplius, infra *Tarodunum*. Uti ex Tabula Peutingerana, quæ sola harum meminit, nimis apertum est. Describitur enim illâ duplex iter, à celeberrimis quondam castris in Helvetia ad Arolæ & Russæ confluentes, *Vindonissa* nomine, hodie **Windisch** / ad *Lunam* amnem, quâ hinc ab *Augustâ Vindelicûm* abest M. P. XL. Illinc à Clarennâ M. P. XXII. Itineri Priori cum Danubii tractu nihil commune est. Posterius verò rectà ducit ad proximam nascentis Danubii ripam, nec deinceps ab eadem recedit. A *Vindonissa* nempe Rhenus, quàm proximè trajicitur ad lapidem VIII. cui loco nomen *Tenedo*, ubi hodiè **Waltshut**/ extremô in limite Germaniæ. Inter hunc trajectum & Danubium, post M. P. XIV. ponitur *Juliomagus*, ubi hodiè occurrit **Stulingen**. Ad ipsum Danubium verò, exactis M. P. XI. *Brigobanna*, accolis **Bziling**. Quam tum *Aræ Flaviæ* sequuntur, secundùm ripam, haut ultra M. P. XIV. inferiores, ex adverso sc. Opidi **Mering**: Has *Samulocenæ* M. P. totidem; ubi Opidum **Mülen** / partem nominis retinens. *Samulocenas*, deinde à M. P. XXII. *Grinario* ultra amnem Ostracam, quà in Danubium influit. *Grinarionem* denique post M. P. XII. *Clarenna*, sitû inter **Reiting** / & **Ober Marktahl**. Atque hinc numerantur M. P. XXII. ad illum Locum, à quo ipso *Augusta Vindelicorum* pariter disjungitur M. P. XL. *Lunam* vocat Tabula. Est autem in ripâ fluvii, qui vernaculè *Iler*, Latinè vulgò *Ilargus*, Tabulæ verò, uti patet, *Luna* appellatur, eô fere positu, quô vicus **Ilertieb**. Sed hæc obiter, de vexatissimo hoc itinere ripensi. Quæ sequuntur in Tabula, ad *Iuari* fluvii & *Æni* cum Danubio confluvium, bonam partem hactenus desperata, & derelicta, haut minùs rectè se habere modis numerisque omnibus, æquè cuncta, in ipsa Tabella, diversô charactere, designabo: Cum diffusiorem digressionem non ferat institutum.

III. RHIUSIAVA. Formatum videtur vocabulum ex Germanico **Rierhausen** / quod non uni vico, hujus tractûs commune; licet hodiè non exstet eô sitû, quem notat Ptolemæus: Scilicet M. P. XXXIII. infra *Bomos Flavios*: Et LV. supra *Alcimoënnem*, ubi Vicus **Plintheim**.

IV. ALCIMOENNIS, secundùm hæc, haut dubiè pertingit ad illum locum, quô fluvius pænè cognominis Danubio miscetur, ab accolis **Altmül** / ab aliis Alemannus dictus.

V. KANTIOEBIS. Cuinam Germanicæ hæc assimilanda vox, jam non occurrit, nec scire valdè refert: Cùm Loca utrinque proxima non dubiæ positionis, sola sufficiant situi demonstrando. Qui est, à Priore, quàm longissimè in arctum, ad ipsum Climatis limitem: A subsequenti verò australi M. P. XLII.: ut fiat concursus in punctò, ad Palatinatus Bavariæ vicum inter Montes Melibocos, cui nomen *Pressat*. M. P. XVI. ab Egra nobili Bojohemiæ Opido.

VI. BIBACUM prisci nominis integerrimè custodiens, omne

 positionis

positionis dubium à se procul amolitur, & aberrantem Ptolemæum in viam revocat. Est autem vera ejus positura ad Gradum Latitudinis XLIX. cum sextante, ubi Ptolemæo XLVIII. tantum numerantur, illustri documento quid de aliis statuendum. Situm etenim occupat BUCHBACH Palatinatûs Bavariæ Opidum. M. P. III. à Nabi & VIII. à Danubii ripis lævis, eâ omninô, quâ dictum, Poli elevatione.

VII. BRODENTIA. Nisi inter *Bibacum* & *Usbium* adhuc alter intercederet locus, hujus protinus constans esset positura, quæ jam non æque demonstrativa, sed aliquatenus capax erroris, tanto levioris tamen, quanto brevior. A *Bibaco* namque ad *Usbium* rectâ lineâ numerantur M. P. CXLIII. p. m. Per ambages verò, primò ad ortum, rursus in Corum, XXVIII. amplius. Ptolemæus autem à *Bibaco* ad *Brodentiam* habet in ortum M. P. XXVIII. Ponamus sine vitio *Brodentiam* igitur sitû *Loisingæ* ejusdem Palatinatûs Opidi.

VIII. SETUACATUM porrò fluctuare neutiquam poterit, posituram scilicet recipiens M. P. XXXIV. à *Brodentia* seu *Loisinga*: Et M. P. CVIII. ab *Usbio*, quæ omninò incidit ad Bohemiæ Opidum Klatow/ regiâ libertate insigne. In hoc saltem falsus Ptolemæus, quod instituti immemor, distantiam à *Brodentia* putaverit in Corum, quæ versus Aquilonem erat ineunda.

IX. USBIUM Germanicè USBEN/ omnis dubitationis expers, est locus ad lævam Danubii ripam, totius Climatis maximè Australis (si transeas vitium de Danubii capite & Taroduno) situs in Valle cognomine Usbertahl Austriacæ Dicionis, M. P. LX. p. m. supra *Vindobonam* hodiè Augustæ Domûs sedem.

Hactenus beneficio *Tarodumi*, *Bibaci*, *Usbii*, intercedentia alia, situi quæque suo, ad editas thesibus distantias, non adeò difficulter restitui potuêre: Quod in sequentibus, citra circumcisionem, vix licebit: Adeo modum omnem excedunt, quæ porrò exhibentur distantiæ inter loca X. Ultima; *solâ Filekiâ* certam sedem in medio obtinente, à qua non parum subsidii: Quod reliquum, petendum est à destructione partis quintæ, cujus exundantiâ in Latitudine & alibi sæpius Ptolemæum laborare jam ostensum est. Interim Longitudinis vix alia ratio heic habenda, quam perpetui cujusdam processus in ortum. *Filekia* quidem ab *Usbio* in Aquilonem recedit M. P. CXXVI. p. m. Intra quod Spatium IV. recensentur loca prægrandibus inter se distantiis, rursum prorsum. Quibus concinnandis opera proxima locanda.

X. ABILUUM. M. P. XXXIII. in Thrasciam ventum ab *Usbio*, situm vix commodiorem recipit quam ad Ludweis Austriæ vicum, quo ferè pertingit, observatâ quintæ partis detractione.

XI. PHURGISATIS itidem ferè in Septentriones ab *Abiluo* M. P. XXXIIX. infra Opidum Iglaw in Moraviæ & Bohemiæ confinio, necessario poni debet; ut æquet *Bibaci* Latitudinem à Ptolemæo ei tributam: iterùm quintæ partis detrimento.

XII. CORIDORGIS. M. P. LV. à priore in Aquilonem, idem

idem facit damnum, ut incidat in Moraviæ Castellum, Cotnitz / quò invitat vocis similitudo.

XIII. MEDOSLANIUM rursum in Austrum à *Coridorge* M. P. LXXXV. parili diminutione distantiæ, descendit, ad Meyssan Austriæ vicum prælongum haut ita procul à Danubii ripa. Vix me contineo quin arbitrer Ptolemæum scribere voluisse, immò debuisse, MEDOSSANIUM non *Medoslanium*.

XIV. FILEKIA, vera his partibus Cynosura, integrum servat nomen in Opido Moraviæ extremo versus Silesiæ fines, quod Germani etiam hodiè FILECK & nonnulli Fülnek vocant, eâdem penè distantiâ M. P. LXXXVIII. quam edunt Ptolemaïcæ theses. Post hanc res ad incitas redacta videtur ob spatii angustiam, quâ Germaniæ Limes orientalis intra XL. Lapidem quod ad Longitudinem constringit Loca V. non modicis distantiis, si Ptolemæo fides, disjuncta.

XV. ROBODUNUM videtur quidem esse Brod Moraviæ Opidum, propter summam affinitatem vocum Brod & *Robod*; sed hæc nunquam tanti esse debet, ut evidenti sitûs rationi non cedat, maximè in hac strictitudine. Brod enim distat à Filek M. P. XL. circiter, cùm Ptolemæus inter *Filekiam* & *Robodunum* non ultra M. P. XXX. numeret. Ad hæc Brod / *Filekiâ* magis occidentalis est M. P. V. contra perpetuum procedendi modum versus orientem. Præterquam quòd necessitas jam urgeat, semper aliquid ab editis distantiis deducere & aliquando ultra partem quintam. Malim igitur ROBODUNUM collocare ad *Ratibor*, Moraviæ montem ferri fœcundum, M. P. XX. à *Filekia*, rectâ in Austrum.

XVI. ANDUETIUM, distare dicitur à *Roboduno*, M. P. LVIII. & quidem maximam partem in ortum; sed contra limitis proximi nimiam viciniam. Si integrum numerum retinere placeat, quia conducibile, ad austrum, iterum rejiciendus erit, locus in Sarmaticorum Montium juga à Danubio proxima, nec ultra M. P. X. à Presburgo.

XVII. CELEMANTIA, abhinc minimè invenit, intra Germaniæ fines, M. P. XXXVIII. distantiam ortum versus. Sed in arctum necessariò procurrit, ad locum in Carpatho, qui illis M. P. XXXVIII. abest ab *Anduetio*, & ab altera parte M. P. XL. à *Singone*, quò ferè ascendit Vicus Moraviæ Braumow.

XVIII. SINGONA itaque, quia M. P. XL. in arctum potissimum, videtur esse Silesiæ Opidum Tessing / aliàs Teschen dictum, Ducatus axiomate quondam nobile.

XIX. ANABUM habet quidem M. P. XLVIII. ad Euronotum; sed, nullô datô progressû ultra Vistulæ fontes, heic omnino sisti debet. Ubi & ego subsisto, in præsentia sufficere ratus tractandarum thesium Ptolemaïcarum rationem quandam ruditer ostendisse, quas aliis, qui procul negotiis, sub ascia perpoliendas tradere volupe est. Si qua videar Viris cordatis attulisse lucem locis nonnullis, id tantillæ operæ satis magnum pretium ducam. Cuncta enim ut probentur, nec audacissimo

cissimo Conjectori auctor fieri velim, qui dubia plurima protulisse mihi apprime sim conscius. Obtestor saltem æquum Censorem, ut cogitet cum Ill. Velsero, in hoc studii genere mediocriter errasse, laudis speciem habere, quam absit ut aucuper; cum nemo, cui cor modeste situm, in tali mustaceo laureolam quæsiverit.

N O-

NOMINA OPIDORUM

ex Ptolemæo.

A.

Abiluum. 16.
Alcimoënnis. 14. 15.
Alisum. 10.
Alisus. 5.
Amasia. 6. 8.
Anabum. 14. 17.
Anduetium. 17.
Argelia. 8.
Arsicua. 13.
Arsonium. 8.
Artaunum. 10.
Asanca. 10. 13.
Ascalingium. 6. 7.
Ascaucalis. 3. 5.
Asciburgium. 6.
Astuia. 5. 16.

B.

Bergium. 11.
Bibacum. 14. 15. 16.
Bicurgium. 11.
Bogadium. 6.
Bomi Flavii. 14.
Brodentia. 16.
Budorgis. 12.
Budorigum. 9. 12.
Budoris. 10.
Bunitium. 5. 10.

C. vide K.

Canduum. 7.
Carrodunum. 10. 13. 2.

D.

Devona. 11. 1.

29.

E.

Eburum. 13. 1.

F.

Fabiranum. 4.
Feugarum. 7.
Filekia. 14. 16. 17.
Fleum. 3.
Furgisatis. 16. 5.

G.

Gravionarium. 11. 1.

H.

Hegetmatia. 12. 1.

K.

Kalaegia. 8.
Kalisia. 8. 9.
Kantiœbis. 14. 15.
Karrodunum. vid. C.
Kasurgis. 12.
Kelemantia. 17.
Koinoënum. 5. 12.
Kolancorum. 9.
Koridorgis. 14. 16. 8.

L.

Laciburgium. 5.
Lesana. 4.
Leucaristus. 9.
Limiosaleum. 9.
Lirimiris. 4.
Locoritium. 11.
Lugidunum. 9.
Lupsurdum. 6. 9.
Luppia. 8. 9.

25.

21.
18.
25.
29.
93.

I. Clima. 19.
II. - - - 26.
III. - - - 29.
IV. - - - 19.
93.

F I N I S.

L O C A
IN
POPULIS FRISIAE,
APPELLATIONE
VII-FOEDERATORUM
HODIE INCLUTIS.

Quotquot ferè Rerum Germanicarum & Francicarum Scriptoribus, Tabulis, & Monumentis memorantur : à Francis ab Imperio Rom. emancipatis, seu seculo VI. ad finem seculi XIII.

COMMENTARIIS ILLUSTRATA,

Secundum Litterarum ordinem.

A

I. A. AHA. AMNIS.

EMo & Menco *Floridi Horti*, seu *Werumensis* Monasterii in *Fivelingia*, Antistites; ille Primus, hic Tertius, (Abbates & Archimandritas jam vocare cœpit Justinianus Imper. qui intet Monasticos primo dignitatis gradu sunt) reliquerunt sui temporis patrios Annales, in primis fideles, qui in vetustissimis membranis apud me sunt, sæpius laudandi. In his, solo AMNIS nomine hic indicatur AHA, ad annum cIↃ CCXLII. Ubi Menso Gronenbergius, cui vulgò cognomentum TERAHA à situ habitaculi sui, Nepos Egberti seu Engelberti *Groningæ* Præfecti sub Ottone II. *Trajectino* Episcopo percelebris, disertim vocatur MENSO AD AMNEM. Appellativum enim amnium vocabulum Veteribus *Frisiis*, immò *Germanis* omnibus, fuit AHA, tot undique minoribus fluviis commune; circa *Groningam* autem proprium Amni, ad cujus ripam dextram Urbs condita est. Ortum hic habet

in superiore *Trenta*, paullo supra vicum *Westrop*, arenoso in solo. Fertur à fontibus in Corûm serpenti alveo, ad Urbem, M. P. XXIII. cursu: Atque hinc olim M. P. III. *Hunsingi* jungebatur, nunc intra mœnia; Quocum miris flexibus in *Oceanum* transit per portum *Marnamanem* seu *Marnensium*, qui hodie Lauwer-zee.

II. ABDINCLANDE & ABDINCSTRANGE.

HOrum mentio est in Antiqua Charta *Werdensis* ad *Ruram* Cœnobii, inde recuperata à Wilhelmo Friderici, qui quondam Episcopi Personam *Groningæ* sustinuit, & à Cornelio Kempio inserta operi suo Historico, si ita appellare fas sit. Ludgerus primus Abbas, postea *Mimigarfordensis* Pontifex, *Trajectino* Coëpiscopus, Ecclesias visitandi provinciam, per *Frisiam* inter *Amisiam*, & *Lavicam* atque *Trentam*, transmisisse aliquandiu ad Abbates successores videtur. Qui uti Domum propriam *Groningæ* habuerunt ABDINCHUS dictam; ita & alias in circuitu possessiones, quibus hoc cognominis ab *Abbate* additum: Has inter ABDINCLANDE & ABDINCSTRANGE; Quibus Vicos non designari, immò ne rusticas quidem Villas, vel inde paret, quòd mox Querlant appellatio subjiciatur. Opima igitur pascua fuisse reor Civibus elocari solita, bubus illis ingentibus herbæ luxuriantis pastu saginandis. Uti hodieque apud nos in more positum est.

III. ABEKEWALDA.

VIcus est cum Arce *Trajectinæ* Dicionis, in *Hollandiæ* confinio; solo admodum humili aut palustri M. P. III. à *Wesepa* ad ortum hibernum. Cognominis Gentis Dynastas quondam habuit, uti Arces reliquæ ferè omnes. Beca, [a] ipsi quinetiam Dynastæ jam ABKOUDE scripserunt. Hodiè ABKOU voce mirè contracta. Mentio ejus est in Tabulis [b] permutationis factæ inter Ecclesias B. Joannis & B. Martini Traj. anno cIↃ LXXXV.

(a) In Joanne IV.

(b) Apud Hedam in Conrado Episcopo.

IV. ABSTADE.

TRajecti vicus suburbanus est, ad quem cæsus traditur Stokio [c] Florentius Niger Theodorici VI. *Hollandiæ* Comitis frater, anno cIↃ CXXXIII. à *Cukiensibus* Fratribus, instigante Episcopo *Trajectino*.

(c) In Dederico VI.

V. ACKERSLOTE.

KInnemariæ vicus sub lacu est, immoti nominis, M. P. III. ab *Alcmaria* in occasum hibernum. Meminit ejus Theodoricus V. qui non justa de caussa Patruum cognominem nullo habens numero,

Quartum

Quartum ſe vocat in famoſiſſimo Diplomate ([d]) anni clↄ LXXXIII. Ubi omnium primò occurrit *Comitis Hollandienſis* titulus. Recurrit ejus mentio, toto ſeclo poſt, apud Stokium ([e]), qui ubique AKERSLOET ſcribere amavit.

(d) Ap. Douzam Holl. An. X.

(e) In Dederico III. & Flor. III.

VI. ADEWERTH.

TRibunalia aggeſtu terræ, ad experimentum altiſſimi æſtûs, per *Chaucidem*, teſte Plinio, addo & *Friſiam*, conſtrui ſolita, *Oceani* littore nondum munito, **Werth / Wirth / Waart / Wierde** / ab Inſulæ ſpecie, quam præbent Pelago exæſtuante, vulgò dicta fuêre: Quia verò poſt moles mari oppoſitas, circum hæc ædes utplurimùm uno ſub Fano aggregabantur, obtinuit ut Vicis permultis appellatio WERTH, &c. adhæreat, addito ſingulis alio diſtinctionis vocabulo: Quod huic noſtro ab ætate contigit, quia reliquis vetuſtior: ADE enim ruſticâ Friſiorum linguâ etiam hodie *Vetus* denotat.

ADEWERTH igitur nihil aliud ſignificat, quàm Vetuſtum ejuſmodi tribunal, vel Inſulam quoties Oceanus æſtum circumfundit. Vicus eſt *Midachiorum* uberrimo in ſolo, qui diu principatum obtinuit per omnem regionem, quæ inter *Groningam* & *Lavicam* eſt, vulgò **Weſterquartier**: Non ſui, ſed locupletiſſimi Cœnobii ratione, quod eò loci ſurrexit anno clↄ CXCII. octavo à morte Bernardi, ex convictu XII. Fraterculorum, qui ejus Regulam ſequi inſtituerant; tanta expilandi felicitate, ut brevi immenſos ſumtus profundere potuerit, excitando Templo ad exemplar ejus, quod Bernardi familia habet in Claravalle, quo magnificentius nullum unquam viſum inter *Amiſiam* & *Lavicam*. Eò tandem opulentiæ & potentiæ provectum, ut omnibus Sociis ingraveſcens, publico Edicto ([f]) cavendum fuerit, ne quid fundorum ultrà acquireret. Abeſt *Groningâ* M. P. V. minuſculis.

(f) Ap. Emmium Rer. Friſ. XI.

VII. ADENWETERINGE.

RUſticâ Friſiorum Linguâ *Vetus aquarum ductus* eſt. Supereſt hodieque nomen **De Oude Wateringe** longè [**Veten** vocant Literæ ([g])] ſupra *Langebroic*, M. P. II. à *Trajecto* in ortum hibernum. Eò uſque ſuam eſſe Juriſdictionem Præpoſitus Eccleſiæ Trajectenſis facili jurejurando, qui tunc ferè Sacrificulis receptus acquirendi modus, contra *Abcondæ* Dynaſtas obtinuit, anno clↄ CC LXXXIX.

(g) Ap. Hedam in Joanne II.

VIII. AGASTALDABURG.

VOcabulum indicat Caſtrum fuiſſe, cui Præfectus GASTALDUS Prætorio & Quæſtorio munere ſimul fungens. Henricus III Imper. in Diplomate ([h]) anni clↄ XLVI. illud ponit in *Iſa-*

(h) Ap. Hedam in Bernulfo.

la seu *fossæ Drusianæ* ripa dextra infra *Westerse*. Hodie mirè contortuplicata voce appellatur *Oulst*. M. P. VII. infra *Daventriam* ad ipsam ripam.

IX. AGATHENKIRECA.

ECclesia fuit controversi Juris inter Episcopum *Trajectensem* & *Epternacensem* Præsulem, uti patet ex transactione anni cIↃ LXIII. (i) Aut veriùs Municipium ad intimum Yhæ recessum, hodie De Sebertswijk/ teste Beca in Theodorico II. Ep. Traj. Stokius (k) vocat St. Aechten-Dorpe.

(i) In Chron. Afflig.
(k) In Ada.

X. ALADNA.

A*Elten* hodie, *Zutfaniæ* vicus prope *Bredevordiam*, *Trajectina* Ecclesiæ donatus (l) anno IↃ CCC XXVIII.

(l) Ap. Hedam in Freder.

XI. ALATINGE.

IN Pago seu tractu *Limers* duo minimum fuerunt loca, quò in Jus eundum. Uni Prætoriarum Villarum erat nomen *Thuina*, cui suberat ALATINGE vicus, uti disertim traditur in Tabulis anni IↃ CCC XXXVIII. (m) Lotharius II. Imp. in Diplomate (n) anni cIↃ XXXIV. ALADINGE scripsit. Hodie pars nominis superest in LAT*hem* M. P. III. infra *Fossæ Drusianæ* principium in ripa dextra.

(m) Ap. Hedam in Alfrico.
(n) Ap. Pontan. Hist. Gelr. VI.

XII. ALBLAS.

RIvus est vel fossa, quæ per emissarium Alblasserdam *Merwedæ* jungitur. Nomen traxisse videtur à Vico primario, uti & agri inferiores omnes inter *Leckiam* & *Merwedam* Alblasser-Waart. Mentio ejus est in Diplomate Henrici IV. Imper. (o) anni cIↃ LXIV. Et apud Stokium sæpiùs.

(o) Ap. Hedam in Wilhelmo.

XIII. ALBURCH.

V*Etus Castrum* nomine refert, vel, si legatur, per metathesin, ALBRUCH, *Veterem Paludem* seu Out Broek/ quæ *Delfensi* Urbi aquilonaris est. Recensetur in VIII. Hobis [Renthoben] Gerolfo Comiti donatis ab Arnulfo Imper. anno IↃ CCC LXXXIX. (p) Si lectio ALBURCH retinenda, suspicer loco postea nomen ALTENA esse factum, quia *Delfæ* Opido nimis vicinus. Est & Vicus Aelberg ultra *Mosam novam*, prope Heusdam, cujus meminit Heda in Andrea Episcopo: sed hunc, intra fines Comitatûs Gerolfiani nemo quæret. Fuit & equestris Familia de ALBURG, uti liquet ex litteris anni cIↃ L. (q)

(p) Ap. Douzam Hol. Ann. VII.
(q) Ap. Hedam in Arnulfo.

XIV. ALC-

XIV. ALCMARIA.

VEtus *Marsatiorum* Opidum vel ipso vocabulo se probans. Postea *Kinnemariorum* & *Hollandiæ* reliquæ propugnaculum, haut satis firmum tamen contra *Frisios*, ultra *Kinnemum* à Carolo M. & Decessoribus se continere jussos. Atque abhinc telonii locus, quia limitaneus; Cujus vectigal omne *Hecmundensi* Abbati tribuit Theodoricus II. auctis etiam prædiis, quæ Pater Theodoricus hocce in territorio donaverat jam ante annum Iↄ ccc LX. Quibus deinde Theodoricus V. Primi Atnepos anno cIↄ LXXXIII. adjecit jus dandi Prætorem Urbi & Territorio *Alcmariensi* [Ambacht vocant Tabulæ].

Anno Christi cIↄ CXXXII. *Frisii* captum diripuerunt & concremarunt, ipsam quoque sacram Ædem. Iterùm anno cIↄ CLXVI. sed novâ Æde intactâ. Tertiùm anno cIↄ CLXIX. refectioni impediendæ reversi, solarum portarum incendium quorundam suorum sanguine luerunt; uti videre est apud Stokium, (r) cui ferè omnem paginam implet ALCMARIA. (r) In Dederico VI.

Urbs est copiosissima & nitidissima cum territorio insigni, M. P. V. ab *Oceano*, X. ab *Horna*. Cis *Kinnemum* licet accensita tamen hodie *Westfrisiæ*, vel, ut vulgus loquitur, Northollandiæ Urbibus, & quidem loco primario.

XV. ALDA OMBECHT.

UNiversitatem vocat Menco, quæ est inter *Fivelingios* & *Reidenses*, [ubi Alfridus etiam ponit Inferiorem *Emisgam occiduam*, & Menconis Continuator *Brokam Orientalem*.] Atque à fronte habet *Amisiam*, à tergo vastas paludes; Cujus haut modicam partem *Dullartus* sinus quondam hausit, nunc reddit. Vici ejus utplurimùm ampliores sunt, quàm usquam alibi facile reperiuntur. *Veterem Præfecturam* vocarunt Latinè loquentes: Nos De Beyde Oldampten. Dividitur enim in Majorem seu Silvestrem, & Minorem seu Argillosam, quæ dudum ambæ sub mansuetudine Dicionis Groninganæ.

XVI. ALDATHORPA.

HEnrico IV. Imper. in Diplomate anni cIↄ LXIV. Ecclesia est cum Cappellis, id est, Fanum majus, cui subsunt Minora. Superest hodie, vix mutato nomine, Outdorp / unis millibus passuum supra *Alcmariam*.

XVII. ALDESALE.

TUentæ opidum est, B. Lebuini obitu, ab anno Iↄ cc LXIII. nobile. Quia verò, Seculo octavo, jam obtinuerit appellationem *Antiqui* seu ALDE, nihil magis consentaneum est, quam quod

ipsum Comitium fuerit Primitivorum *Francorum*, qui SALII cognominati. Illustre itidem est Præpositurâ, quæ dignitas Episcopali proxima, possessa subinde à Viris Principibus, quorum multa in Tabulis & Annalibus mentio fit: Ad hæc rerum venalium mercatu hebdomadario & Nundinis anniversariis ad XI. K. Nov. ab Henrico III. Imper. concessis, anno cIↄ XLIX. (ſ) Scriptio diversimoda est ALDENSALE. ALDENSELE. OLDENSALE. OUDENSEEL. OLDENSAEL. Atque hac ultima utplurimùm utimur. Superest in confinio *Benthemi*, M. P. VII. ab ipsa Arce.

(ſ) Ap. Matth. in Notis ad Membr. Traject.

XVIII. ALDESUM.

Meminit hujus Menco Werumensis ad annum Christi cIↄ CCLXVII. subindicans *Capitalem* Loci [vernaculè Hooftling] penes quem Jus dandi Prætorem, fuisse honestum *Pugilem*, quo vocabulo Militiæ gradus significatur. Arx fuisse videtur in vicinia *Werumi*, ad dextram *Fivelæ* ripam, integro nomine ALDEHUSUM hodiè Olden-Huys.

XIX. ALDVICA.

Tenuis viculus in *Trajecti* suburbanis ad orientem variante dialecto nominis servans Outwijk. Ita dictus videtur, quia antiquior illô, in quo Ædis B. Martini & ipsum Castrum vetus. Meminit ejus Henricus Episcopus Trajectinus in Tabulis anni cIↄ CC L. V. Id. Jan. (t)

(t) Apud Hedam.

XX. ALFNA.

Quondam *Albiniana*, hodiè ALFEN, uti dictum Parte I. Annotatur in Inventario (u) Bonorum Trajectinæ Ecclesiæ, quod antiquissimum nec seculo XI. recentius.

(u) Apud Hedam, Scriverium & alios.

XXI. ALSMAR. ALISVEN.

Kinnemariæ vel Amstelandiæ Ecclesia fuit, quia de his solis inter Trajectensem & Epternacensem transactum anno cIↄ LXIII. Num eadem sit cum AELSMEER ad lacus *Harlemensis* oram interiorem? definire nolim. Saltem vicinam fuisse innuit Florentius Com. Holl. in Diplomate anni cIↄ CC LXXV. (w) d. XXV. Oct. his verbis; *Terra* VENENSIS *in* ALSMAR. Quam olim anno cIↄ CXCIX. *Jurisdictionem*, id est, territorium peculiaris Judicis, vocavit Theodoricus VII.

(w) Ap. Buxhornium in Theatro Urb. Holl. c. IV. & VIII.

XXII.

XXII. ALLERHUSEN.

D*Omus* fuisse dicitur in Tabulis Episcopi Henrici Trajectensis anni cIↄ ccLXV. (a) prope *Amersfort*, quam ævi vetustas cum nomine abolevit. (a) Apud Hedam.

XXIII. ALMELO.

T*Uentæ* opidulum est, quondam Equestris Familiæ Domicilium, à qua nomen Loco, vel ab hoc Familiæ. In Diplomate Henrici Episcopi Tr. cIↄ LX. (b) jam mentio fit Henrici de ALMELOE. (b) Apud Hedam. Servat nomen M. P. VIII. ab *Aldasala* & *Othmersum* pari ferè spatio.

XXIV. ALMERE.

ECclesia Trajectina obtinuit ab Ottone Magno Imper. anno Iↄ cccc XLVIII. (c) hoc in loco *Regale Jus piscationis cum censu vulgariter* Cogschult *vocato*. Tributi genus est impositum Ratibus, quæ Oceanum navigant, Coggen adhuc Stokii ætate dictis. Meminit ejus iterùm idem Imper. in Diplomate anni Iↄ cccc LIII. (d) Addit Inventarium Bonorum Trajectensium & *Decimas de Sagenis*: ponitque locum juxta *Vennepam* flumen, quod in Lacum *Harlemensem* influit: Unde suspicio est, eundem Lacum Veteribus dictum fuisse ALMERE, vel saltem ejus portionem insignem. Wilhelmus Gemmeticensis (e) narrat; ad fluvium ALMERAM stetisse Rollonem Normannum; cùm post fugatum Radebodum Frisiæ Principem Walgris suppetias ferentem, Frisones infestis agminibus iterùm in illum ruerent iterumque pessimè exciperentur.

(c) Ap. Hedam in Balduin.
(d) Ibidem in Odilbal.
(e) Hist. Norm. Lib. II. c. 8.

XXV. ALTINÆ.

EDidit nuper, Rei Antiquariæ bono, V. C. Ant. Matthæus Juris in *Batavis* Antecessor jam à Proavis celeberrimi nominis, ex Archivo Trajectino, *Narrationem Historicam* consignatam *Groningæ* anno cIↄ cc XXXII. optimæ sane notæ: Quam deinceps *Membranam Trajectinam* vocabimus.

In hac plurium vocabulum huic Loco rectè tribuitur, quia duæ sunt ALTINÆ, superior in Monte Elterenberg seu Hoog-Elten/ inferior in æquo Neer-Elten seu Leeg-Elten. Otto M. Imper. (f) usitatâ tunc metathesi, ELTNON, pro *Elten* scripsit, cùm recens condito Cœnobio Principalem dignitatem concederet, anno Regni sui VIII. Æræ Christi Iↄ cccc XLIII. Ita scriptum fuisse, pro, *Regni XIII.* & *Æra* Christi Iↄ ccccXCIII., Indictio II. ad Constantini institutum satis evincit. Deinde anno Christi Iↄ cccc LXX., cum dotem augeret, appellavit ALTINAM montem, & Curtem *Heltren*. Otto III. verò anno Christi Iↄ cccc XCVI. ALTENAS & corruptè

(f) Apud Pontan. Hist. Gel. V. & VI.

Geltman.

Geltman. Lotharius II. denique anno CIↃ CXXXIV. ELTENA. Latinè autem loquentibus Ottonum ævo, vulgo dictum fuit Cœnobium ALTENATENSE, quasi ALTENAS Ottonis III. sit casus rectus, à quo secundus *Altenatis*.

Situm est in finibus *Zutfaniæ* ad dextram *Rheni* ripam, M. P. II. infra divortium, à Zutfaniæ Comite potissimum dotatum. Agnoscit tamen hodie Tutorem Cliviæ Principem. *Mundibardum* vocavit Imperator Otto M. quem ipse dedit. Silvam etiam propè fuisse nomine ELTENA ex Ottonis III. Diplomate constat.

XXVI. AMEIDE.

(g) Ap. Hedam in Adelbold.

IN Catalogo Trajectensium Vassorum (g) [sic vocarunt, qui inter Beneficiarios minores, *Vassallos* dictos, caput longe extollebant] AMEIDE vocatur Districtus ad *Gorensem* Comitem beneficio Episcopi pertinens. Retinet nomen, ad Leckiæ lævam M. P. V. infra *Vianam*. Quondam Arx nemini non dicta.

XXVII. AMELANDE.

(h) Supra N. VIII.

TRactus terræ est, quo continentur *Stevere*, *Lovénem*, Erdbeke / Suytheympe / & IV-*Foreste* seu Vierholten. Loci omnes Pagi *Feluæ*; uti patet ex Diplomate Henrici III. Imper. (h) CIↃ XLVI. cujus jam facta mentio ad *Agastaldaburg* & postea fiet sæpius. Certum igitur, AMELANDIÆ & *Feluæ* quoddam commune solum esse, quòd omne, affirmare non ausim: quia alterutra latioribus finibus alteram comprehendere potuit. Qui *Feluæ* fines? videbitur suo loco. De Finibus AMELANDIÆ vox ipsa fidem facit, iis comprehendi *Anchorum* agros marginatos Flevonem Lacum ambientes; quasi Ommelanden van't Flie.

XXVIII. AMERONGEN.

(i) Ap. Hedam in Godeb.

VIcus Trajectinæ Dicionis non ignobilis cum Arce egregiâ, inter *Dorestadium* & *Renum* Opidum. M. P. I. à dextra *Amnis* ripa custodiens nomen. Godebaldus Epis. Tr. jubente Lothario Cæsare, proprietatem paludum & montium, inter AMERONGEN & Seyst existentium, reddidit Ecclesiæ Majori B. Martini anno CIↃ CXXVI. (i) cum *Synodali Justitia* quam vocant, exceptâ tamen decimâ, quæ Ecclesiæ de AMERONGEN relinquenda. Cæterùm anno CIↃ CC LXXXIX. Præpositus B. Martini, præstito, quod ipsi deferre necessum habuit Giselbertus de *Abcoude*, jurejurando, *civilem* etiam *Jurisdictionem* obtinuit, *de quo supra N. VII.* cum dodrante omnium proventuum.

XXIX.

XXIX. AMERSFOORT.

AB *Hemo* vel *Emo* fluvio, ſuper cujus ripam Opidum conditum, & vadoſo tramite ſeu *Forde*, quo pervius eò loci erat, ſic dictum. Ita ut verum nomen ſit *Emiſordia*, vulgo tamen obtinet AMERSFOORT & AEMSFORT. Urbs nitida & elegans eſt, ſecunda à *Trajecto*; inde M. P. XI. disjuncta in ortum hibernum. Antiquitus ſuos habuit Dynaſtas, quibus hinc Gentilitium nomen: ita tamen ut Opidum res ſuas habuerit ſeorſum; Jus etiam Sigilli, uti conſtat ex Literis Henrici Epiſc. Traject. anni CIↃ CCLXV. (a) Munita jam fuiſſe perhibetur Bekæ, Epiſcopi Joannis II. tempore, qui cœpit CIↃ CCXXVIII. (a) Vid. ſupra N. XXII.

XXX. AMESTELLA.

GEmino ferè LL ſcripſere Veteres. Fluvius eſt non longè veniens ex Regione ejuſdem nomenclationis [**Amſtelland**] ſegnis admodum; lato tamen, ſed fœdo, alveo, quo excipit rivulos duos paluſtres M. P. IX. ab exitu in *Tham*; dextro *Mirtæ*, lævo *Drechtæ* nomen eſt. Fuit & cognominis Arx, **Amſtels-Veſte** Stokio (b) (b) In Ada. firmiſſimo opere, ad Gentem etiam cognominem ſpectans, cujus potentiam, ipſi quondam Epiſcopo Traj. formidatam, imminutum ivit Eggebertus AMSTELIUS contumaciâ in Cæſarem; Giſelbertus planè perditum conjuratione in Principis ſui caput. Ita ut nil niſi nominis ſuperſit infamia.

XXXI. AMSTELREDAMME.

EMporii hodie toto Orbe celeberrimi, non niſi prima incunabula ad præſens attinent inſtitutum. Ultima enim memoria tantæ Urbis, quæ omnem *Hollandiam* dudum viribus æquat vel ſuperat, eſt in Diplomate (c) Florentii V. anni CIↃ CCLXXV. d. XXI. Octob. quo, à (c) Ap. Buxh. in ſuis indigne habitos, Incolas telonii immunitate remunerat per omnes Amſtelodamo. ſuas Diciones: non obſcurâ ſignificatione, tunc nondum Opidum fuiſſe. Altera mentio eſt apud Stokium (d) ad annum CIↃ CCXCVI., quo (d) In Joan. I. Joannem *Hollandiæ* Tutorem obſidioni Mudenſi ſolvendæ advenientem hoſpitio excepit, necdum Municipium. Incrementa tamen debet potiſſimum illi vectigalium immunitati, tum etiam meritiſſimo excidio Giſelberti Dynaſtæ Veteris, Rei conjurationis execrandæ in Florentium Principem. Nomen habet à ſitu ad AMSTELÆ influvium in Yham, ubi amni obex injectus cum valvis emiſſariis, quem DAMME vernaculè vocant, tot Urbibus & Locis communi denominatione. Subſecutam potentiam verò, ab Yhæ maximique ſinûs commoditate, Incolarum frugali induſtria & Moderantium providentia incomparabili, Numine propitiante.

XXXII. AMUSON.

OTto I. Imper. hoc in loco *Regale jus piscationis*, quod vocat, Ecclesiæ *Trajectinæ* concessit anno IↃ CCCCXLVIII. unà cum censu, qui vulgariter *Cogschult*. Inventarium Bonorum Traject. fluvium vel Lacum esse indicat, in quo crepidines multæ [vernaculè Werren] quatum VII, Ecclesiæ ad piscandum datæ in Getrewat, hodiè Geest-water / occiduo lateri Cagani Lacûs, duobus fretis cohærente, dum aqua superstagnavit.

XXXIII. AMUDA.

VIlla Prætoria est vel Opidum ad ripam *Vechtæ Citerioris*, & oram *immensi Lacûs*, cum mensa Publicani, in Comitatu Walgeri & (a) Ap. Hedam in Baldr. Rotbodonis, quam Ecclesiæ Trajectinæ propriam fecit Otto I. Imp. (a) anno IↃ CCCCLIII. & repetitò Otto II. anno IↃ CCCCLXXV. Antiquissimis sic dicta, quasi *Amnis Ostium*. Ætate Stokii & Bekæ MUDA simpliciter, absque omni cognomine sive appellativo, sive proprio. (b) In Flor.V. Opidum vocat Rithmographus, (b) incensum à Kinnemariis CIↃ CXCVII. Hodie tenuissimum, adhuc eadem appellatione, cum Arce antiqua insignis Præfecturæ Capite.

XXXIIII. ANDECHOBINA.

LEgum Salicarum Titulo XLI. *Malloburgium* vocatur, id est, Locus, ad quem consiliis communicandis, vel juri dicundo coibant Primores Populi. Doctissimus Wendelinus harum interpres solertissimus docet hodiè dici AINDHOVEN, quod *Campiniæ* Opidum, Buscoducensis territorii, adeoque in Dicione VII-Fœderatorum, in qua & plura alia, iisdem Legibus memorata refert, ceù sunt, *Alacfacis* Alsen / *Alatrude* Halteren / *Aurappa* Erp / *Amba* Empel / *Barco* Berge / *Bruchio* Breugel / *Lacinia Via* Langestraat / *Chre-dunia* Klein-Dunnen / *Faltova* Feltboven / *Haecchala* Aechel / *Obseno* Offendrecht / *Streonas* Strijen / *Raba* Ravenstein / *Wespho* Waspik / *Zymis* Zoom / & quæ sunt ejusmodi alia ex ipso fonte haurienda.

XXXV. ANEN.

LOcum funestum & maledictum vocat Anonymus Membranæ Trajectinæ Scriptor, ad quem Otto II. Epis. Tt. *Hardenberga Covordiam* cum exercitu properans ultima sua tentoria fixit. Et à quo, in *Trentones* pugnaturus processit ad proximam paludem, sibi suisque prælio victis fatalem anno CIↃ CCXXVII. Manet hodie nomen paupertinis quibusdam tuguriolis ad dextram *Vechtæ* ripam è regione *Gramsbergæ*.

berga. Referente ferè eadem Emone Merumensi & post hos Becâ, [a] qui addit haut longè post coactos fuisse *Trentones*, à Wilibrando Episcopo Successore Prid. Id. Oct. cIↄ ccxxix. debellatos, secundum Emonem, expiando Ottonis cædem, eodem in loco condere sacratarum Virginum Monasterium, deinde *Assenam* translatum, uti Emmius [b] scriptum invenit. Abest autem à Covordia M.P. IV.

(a) In Wilbr.

(b) Rer. Fris. Lib. X.

XXXVI. ANGEREN.

PArochia *Batuæ superioris* prope à *Rheno*, non longe supra *Husen*; Cujus Decimarum partem contulit Otto Gelriæ Comes Cœnobio *Vallis Comitis* ad *Nissam* fl. anno cIↄ cc LV. [c]

(c) Ap. Pontan. H. G. VI.

XXXVII. ANLO.

NOmen invenit ab *ANNEN* vico proximo, depressiore in solo & à LO seu loco edito quem occupat. Vicus est Prætorius & Parochialis in *Trentonum* Pago. M. P. XIII. prope ab Urbe *Groninga*. Hujus mentio est in Chartâ Werdensi.

XXXVIII. APPENGADAMME.

HUjus antiquissima memoria est ab anno cIↄ ccxxxi. apud Emonem Werumensem, qui Ecclesiam DAMMENSIUM in *Fivelingiis*, eo anno, anathemate percussam tradit. Circa annum cIↄ cc LIV. Menco nobis exhibet APPENGADAMME turri & Domate, quod vocat, insignem. Crevisse videtur ex *Emethæ* ruinis, *Fivelæ* Ostio jam eò usque alluvionibus promoto, à cujus obicibus emissariis, uti ferè ubique receptum, loco nomen DAMME factum cum apposito APPINGA fortè à Familia tunc nobili, nunc ignota. Huic *Fivelingii*, jam exemplo *Emethæ* cautiores, Opidi Jura, solenni Zelandiarum Placito (sed sequenti demum seculo) impetrarunt. Quorum tamen vix quicquam illi superest, *Fivelæ* obicibus inde denuò ad *Delfzilam* provectis. Subsistit hodie utcunque potest, Opidi specie non ex minimis; sed sine mœnibus & ferè sine privilegiis, quæ Vici modum excedunt. Secat medium rivus *Fivelę*, cui nomen DAMMENSIS de suo fecit. Abest *Groninga* M. P. XIII. Ab *Amisia* fl. ripa proxima III.

XXXIX. APPLENTHERNNA.

ITa legendum putem in Diplomatibus [d] Ottonis III. & Lotharii II. Impp. voce unâ, non duabus APEL TERNICKO aut APPLEN THERNNA: Ut intelligatur APPELDOORN *Feluæ* vicus ad caput amniculi, cui *Grift* nomen.

(d) Ap. Pontan. H. G. Lib. V. & VI.

XL. ARENA COMITIS.

ITa Theodoricus VII. & Aleidis Holl. Comm. vocant Municipium, vernaculè 's Gravensande dictum in Diplomate anni cIↄ ccII. pro quo pessimè exscripsit Buxhornius cIↄ ccxII. Theodorico quippe jam mortuo cIↄ ccIII.

XLI. ARCLO.

(a) Ap. Hedam in Aufrido. VIlla est in Comitatu *Teisterbantiæ* secundum Tabulas (a) Ottonis III. Imp. anni Iↄ ccccxcIIX. & Henrici II. anni cIↄ III. [non XIII, uti vitio scriptum evincit adjecta Indictio I.] Quæ unà cum discerpti Comitatûs parte non contemnenda Nobilissimæ Genti obtigit, cui ab hac ARCULEIÆ nomen deinceps additum. Crevit in suspiciendam potentiam, quæ, sublatis Arculeis, serò ad Egmondanos Principes transiit. Superest hodie ARKEL nomen in vetustæ Arcis reliquiis, intra II. lapidem supra *Gornichemum*, in dextra *Lingiæ* ripa.

XLII. ARNEMUDEN.

W*Alachriæ* Opidulum hodie tenuissimum *Arnæ* rivo vel fossæ impositum, Cujus illic exitus vel Ostium vernaculè MUDE, à quo loco nomen: Uti hæc sigillatim constant ex narratione Stokii (b) ad annum cIↄ ccxLvIII. & cIↄ xcvI. Abest à Middelburgo M. P. II. in ortum æstivum. Hodiè *Armuyen*.

(b) In Wilhel. II. & Joan. I.

XLIII. ARNHEM.

A*Rnoldi Villam* hac voce indicari Parte I. dictum est. Assidet dextræ *Rheni* ripæ M. P. III. infra *Fossæ Drusianæ* principium. Antiquissima ejus memoria est in Diplomate (c) Ottonis III. Imper. Iↄ ccccxcvI. & (c) Lotharii II. cIↄ cxxxIv. *Curtis* tamen conditione, id est, Villæ Quæstoriæ. Item in Diplomate Wilhelmi Episc. Traj. anni cIↄ LIX. (d) quo omnis ager ad *Rhenum* vel in *Rheno* nascens, à *Rynen* ad ARNEM, indeque ad *Daventriam* Ecclesiæ de *Zutfenne* tribuitur. Denique in Diplomatibus binis (e) Friderici II. Imp. datis Indictione XI. id est anno Christi cIↄ ccxx. quibus prohibetur Comes *Gelriæ* ullum deinceps accipere vectigal apud ARNHEM, *Oesterbeke* & *Lobede* vel quocunque loco super *Rhenum*, nullâ omnino eminentiæ significatione ante *Oosterbeek* & *Lobede*. Inter Opida enim censeri demum cœpit anno cIↄ ccxxxIII. pridem mœnibus cincta, atque sic statim eodem jure cum *Zutfania* Urbe antiqua. Hodie magnæ existimationis & *Feluæ* splendidissimum Caput.

(c) Supra N. XXV.
(d) Ap. Pontan.
(e) Ap. Hedam in Ott. II.

XLIV.

XLIV. ARNLE.

LOtharius II. Imp. in d. Diplomate anni CIↃ CXXXIV. recenset ARNLE in donis Cœnobio *Altinensi* factis, inter *Thulo* & *Malsum*. Quod si vicino quoque situ fuit, de ARICHEM accipiendum erit. M. P. II. à *Bura* Opido ad meridiem.

XLV. ARNULO.

VIcus *Trentæ* est sine Fano ad Parochiam *Fries* pertinens. M. P. X. à Groningâ. Hodiè *TAARLO*. Mentio ejus est in Charta Werdensi.

XLVI. ASCETE.

DEscribitur in Diplomate Henrici III. Imp. anni CIↃ XLVI. (a) Locus ad *Isala* seu *Fossæ Drusianæ* dextram ripam non longè à Suptheme in adversâ. Retinet ferè nomen ESSCHEDE, medio situ inter *Zutfaniam* & *Daventriam*. (a) Supra N. VIII. & XXVII.

XLVII. ASCLEKERWALD.

KInnemariæ vel *Amstellandiæ* Ecclesiæ fuisse videtur, quia super his solis confecta Transactio inter Trajectensem & Epternacensem Præsules, anno CIↃ LXIII. de quâ jam sæpius. Illustris Douza (b) legendum putat; ASTETERWALD ut fiat Oostwoude: Sed hoc demonstratu opus intra *Kinnemariæ* & *Summemariæ* fines, quos non excedit Transactio. (b) An. Holl. Lib. VI.

XLVIII. ASCUMANNEDILF.

DE hoc in sæpe dicta Transactione anni CIↃ LXIII. mentio est; necnon in Diplomate Theodorici V. CIↃ LXXXIII. ubi scriptum ESCMUNDILF. Hodiè ASSENDELFT, inter *Tham* & *Sanam* M. P. IV. à *Sardamo* ad septentriones.

XLIX. ASKE.

HOdiè subnectitur vox HUEL & dicitur HAGES-HUEL, propius aliquanto ab *Oceano*, quam *Quintshuel*. M. P. V. ab *Haga Comitis* ad Libonotum. Est autem de numero *Hobarum* seu *Mansarum* [Gentthoben] quibus Gerolsum intra Comitatus ejus fines ditavit Arnulfus Imp. IↃ CCCLXXXIX.

L. ASPERA.

NOminis antiquissimi locus, uti Parte I. ostensum ad *Caspingium*: Sed qui vetustate parum celebritatis quæsivir. Post discerptum *Teisterbantiæ* Comitatum Arculani juris factus, Arculejorum Clientes habuit Topatchas, quorum alicubi in Diplomatis vetustis fit mentio. Et quidem ad annum CIƆ L. ([a]) & CIƆ CLXXXVIII. Gerungi de ASPERT. Opidulum cum Arce est ad *Lingiæ* ripam lævam M. P. V. supra *Gorichemum* cum quo Hollandicæ Dicioni adjectum est.

(a) Ap. Hedam in Bernulf. & Conrad.

LI. ASTAWALDA.

VEteris *Præfecturæ Majoris* Vicus est, *Dullarto* multùm imminutus. *Silvanorum* enim esse ait Menco Abbas Werumensis sub finem Operis. Ejusque Continuator eundem ponit in *Broka Orientali*, quod idem est; atque, id ævi, in Tademæorum potestate. Hodiè Oost-wold vocatur, uti & alii Vici duo, in *Silvis Australibus* unus, in *Fredowalda* alter.

LII. ASTERLOO.

QUi Chronicon Menconis Werumensis, sui Abbatis per annos XX. continuavit, *In Silvis Australibus Fivelingiæ*, vel in *Silvanis* Præfecturæ Veteris, hoc nomine Monasterium fuisse ait, Cui Præpositus non infimæ autoritatis apud *Fivelingios*. Superest Vicus *Præfectura Veteris*, nomine Wester-Lee M. P. XV. ab Urbe in ortum hibernum; certo indicio extitisse & alterum ab opposita plaga Ooster-Lee/ id est ASTERLOO dictum.

LIII. ASUIN.

VIcus *Zutfaniæ* retinens nominis ASEWYN, inter Burg & 's Herenberg/ dono datus B. Friderico Episcopo Traj. anno IƆ CCCXXVIII. ([b]) à Gerowaldo Landuuardi filio.

(b) Ap. Hedam in B. Frederico.

LIV. AVENZATE.

ECclesia est retinens nomen in dextra *Lingiæ* ripa, cum *Cappella* in læva. Utraque à Tielensi Opido M. P. III. Quicquid ad hanc possedit Vir nobilis Baldricus dono contulit Ecclesiæ *Trajectinæ*, anno Ær. Christ. IƆ CCCL. ([c])

(c) Ap. Eund. in Lutgero.

LV. AUSTRACHIA.

AUge/ Age/Ooge/ Ey/ variæ dialecti idem vocabulum, *Oculum* denotans, Maris etiam Insulis tribuerunt Germani Veteres; ne

ne quidem hodiè desuetâ denominatione **Oog** & **Eyland** pro Insulâ. Recte igitur Fredegarius Scholasticus Insulam, quæ *Burdipæ* seu **Bornediep** dextra atque ad solis ortum, AUSTRACHIAM vocavit appellativo nomine, cui hodie proprium **Ameland**.

LVI. AWICH.

VIcus *Mosawalæ* est, cujus mentio fit in donationis Tabulis Adelheytæ Com. (a) anni CIↃ CLXXXVIII. Hodiè EWYK. M. P. IX. infra *Noviomagum*.

(a) Ap. Eund. in Conrado.

LVII. AXELE.

JAm Ecclesia fuit anno CIↃ V. donata S. Salvatori Trajectensi, à Burchardo Episcopo. Hodiè modicum munitumque Municipium est Dicionis VII-*Fœderatorum* in IV. Præfecturis *Flandriæ*.

LVIII. AXEM.

STokius inter dona, quæ Theodoricus II. contulit in Ecclesiam Egmondanam, numerat & AXEM

- - - **Hi meerfede hem haer goet** - -
In Limmen ende in Bachem
In Suuren ende in AXEM.

Hodie mollius ASSUM vocatur vicus, qui distat à *Limma* & *Bacthemo* M. P. IV. versus Austro-africum & *Beverovicum*, à quo M. P. II. non ampliùs abest. Peculium quondam Gentis cognominis, eodem Stokio teste ad annum CIↃ CC III.

B

I. BACHEVORTH.

INdicari vadosum tramitem per *Hemum* rivum, id est, **Een Varde door de Beeck**/ qui non longè à Monasterio *Hohorst*, satis apertum est ex verbis Diplomatis ([a]) Ausridi Episc. Traj. anni cIↃ VI. *Novale de monte Hohorst usque in* BACHEVORT. Fortè eò loci ubi hodie **De Eembrugge**.

([a]) Ap. Hedam.

II. BACKENVENE.

CElebratur Membranæ Trajectinæ hic Locus, ceu militi trans paludes ducendo, ex *Frisia Foresiensi*, sive *Silvestri* in *Trentam* & vicissim, peropportunus; & simul funestus *Frisonum* clade à *Trentonibus* accepta anno cIↃ CCXXXI. Tenuis *Upsterlandiæ* vicus, *Cappellæ* appellatione, quæ initiò *Cellula Dodonis*, deinde *Curia Mariæ* fuit cognominata ([b]), inter *Bornedæ* caput & *Trentonum* fines, ad tramitem, per paludes ducentem; *Foresiensium* angulo ad septentriones supremo: Ubi perennat nomen integrum amplo ericeto commune.

([b]) Author Vitæ Dodonis.

III. BAERLE.

VIlla vocatur in litteris Hilsewydis Stryæ Com. anni IↃ CCCXCIX. quarum particulam exhibuit Buxhornius ([c]) ex Archivo Thorenanæ Abbatiæ; exemplum integrum Lojolitæ Antwerpienses ([d]), sed ad d. K. Jun. IↃ CCCCXCII. Et quidem rectiùs, si Hilsewydis Uxor fuerit Ansfridi Episc. Traject. utpote, qui annum Ær. Christi millesimum vivendo superavit. Prope fuit *Altare Remigii*, id est, sacellum paucarum ædium usui inserviens, cujus Sacrificulo infimi ordinis *Altarista* nomen. Fuisse videtur *Gertrudis Bergæ* appendix, nunc *Bredani* territorii. X. ab Urbe lapide ad Vulturnum.

([c]) Th. Holl. in Gertr Berga.
([d]) In Actis SS. Vita Ansfridi.

IV. BAERSDORP.

ZUytbevelandiæ Vicus prope *Goesam* quidem reperitur hoc nomine: Sed non Arx prope *Middelburgium* in *Walachria* à Joannis Hannonii filio, cum internecione præsidii, expugnata anno cIↃ CCC. De qua Stokius ([e]).

([e]) In Joan. II.

V. BAIOR-

V. BAIORZUNA.

FUldensium Annalibus memoriæ proditum reperitur; *Normannos* anno Christi IↃ CCC LXXX. prædatum egressos, inter plurima *Galliæ* loca, quæ depopulati sunt, etiam BAIORZUNA, ubi pars maxima *Frisionum* habitabat, incendio concremasse; atque inde reversos *Noviomagum* firmissimo vallo circumdedisse, hiemandique locum sibi in Palatio regio paravisse retinuisseque, obnitente frustra Ludovico L. Germ. F., in annum sequentem: Quo pactum, ut Rex Ludovicus obsidione, *Normanni* Urbe & Regno decederent, eversis prius munitionibus, quibuscum & ipsum Palatium, Barbarorum perfidiâ, conflagravit; uti legitur apud Reginonem ad annum IↃ CCC LXXXI.

Frisiones hunc locum habitasse perspicuum satis est; sed non æquè quo in Regno Franciæ; *Gallicæne*? quod tunc penes Balbi filios, an *Germanicæ*, ad Germanici filium spectante? Utrumque enim depopulationibus eo anno vastasse dicuntur *Normanni*. Magis adhuc in obscuro est, Insulane fuerit, tractusve terræ alius? Num verò Opidum & hoc quidem celebre? Ego quidem opinarer *Galliæ* Regni portionem tunc fuisse, quam principatu Justiniani, *Francis* ad alia diversis, *Frisii* occuparunt vacuam ad *Scaldis* occidentem, extremis in *Morinis*, uti alibi dictum, retinueruntque Provinciâ ab Heristallio Galliæ denuò vindicatâ; Sed aucti aliorum Colonorum adductione: Ita tamen ut habitatorum pars maxima fuerint *Frisiones*; uti luculenter à Mejero probatum, videre licet infra in *Fresia*. Quin & ipsa vocis terminatio ZUNA dialectum prodit *Flandrensium*, quibus non pauca locorum nomina desinunt in *Sene*; *Assene*, *Ezene*, *Mesene*, *Olsene*, &c. Ita ut *Flandris* fuerit *Baarsene*, *Barsene*, *Bersene*, *Borsene* vel ad hunc proximè modum. Licet id vocabuli hodie superesse, nondum resciverim: Intra fines tamen, vel ad fines *Flandriæ* nostræ quondam extitisse vix dubitandum, ideoque & nobis dicendum.

VI. BAMESTRA.

FLumen vocat Theodoricus V. Holl. Com. in Diplomate famosissimo CIↃ LXXXIII. Lacus autem fuit *Westfrisiæ* maximus BEMSTRE Stokio (*) jam appellatus. Hodie abactis aquis miræ fœcunditatis ager: Ut à Bemden/ id est, lætissimo camporum genere nomenclationem traxisse vix dubitarent, qui è Lacu recuperatum ignorant.

(*) In Deder. II.

VII. BANT.

INsulam *Frisiæ*, quæ intra *Amisiam* & *Lavicam* est, hoc vocabulo insignit Alfridus Monast. Episcopus III. idemque Sciptor Vitæ Ludgeri I. (ᵃ) Sed adeo copiosam, ut Pagis insignibus V. in quos omnem illam regionem partitur, Hanc ceu sextum faciat æquiparabilem. Certissimo argumento Romanorum *Burchanam*, de qua parte I. Ludgeri ætate, id est, seculo IX. necdum fuisse imminutam, saltem BANTÆ, quæ pars ejusdem Orientalis, adhuc conjunctam. Uti verò Romani à partis Occidentalis Vico primatio *Borchem* toti Insulæ nomen *Burchanæ* fecête: Ita Alfridus, ab altero oppositi lateris, BANT dicto, id nominis tribuit universæ. Post utriusque intertrimentum, cessatum à promiscua appellatione, solaque Occidentalis dicta *Borkna*, Orientalisque sola BANT. Hodie ad illas angustias redacta, ut vix cuniculos nedum homines hospitari possit.

(ᵃ) Lib. I. cap. 4.

VIII. BARBNEGOS.

OTto III. Imp. in Diplomate anni IↃ CCCCXCVI. sæpius adducto, facit mentionem Territorii, cui hujusmodi nomen datum putavit, errans fortè, Librarius. In alio Lotharii II. anni CIↃ CXXXIV. ubi eadem repetuntur, non minus mendosè BERBNEGET, exaratum est. Otto verò Magnus testatur, in Tabulis anni IↃ CCCC LXVIII. quarum copia mihi facta est à fida cum primis manu, Wichmannum Comitem in Cœnobium Altinense à se fundatum plurima Imperii beneficia transcripsisse, quibus ipse Imperator proprietatem adjecit; idque per XI. diversas Universitates; ceu sunt, Comitatus in littore *Rheni* qui hodie *Zutfania*; Territorium *Urch*; Pagus *Salo*; Comitatus *Nerderlant* [*Nardimlant* alio exemplari] & *Hamelant*. Addunt Otto III. & Lotharius II. insuper Territoria BARBNEGOS & *Otmes*, sive, secundum Lotharii Librarium, BERBNEGET & *Otmeus*; Nec non *Frisionum* Comitatus IV. *Hunesgo*, *Fualgo*, *Merma* & *Micheta*. Ex quibus liquet per *Barbnegos* & *Otmes* designari Territoria seu Prædia extra reliquorum omnium fines. Quia verò re & verbis conjungantur cum *Lacûs Flevonis* Australi margine & *Insulâ*, cujus ferè fuit & ora Septentrionalis; Consentaneum est Diciunculas fuisse post intimum Lacûs recessum & *Isalam* ad solis ortum vergentes, quibus cum *Frisiis*, quod satis indicant Tabulæ, nihil commune. Licet corruptæ vocis BARBNEGOS seu BARBNEGET restituendæ hactenus nulla arrideat probabilis conjectura; utut altera *Otmes* emendationem, haut adeo inconcinnam admittat, quæ suo loco videbitur.

IX. BAR-

IX. BARLANT.

BARLANDIAM *Goesæ* Opido vicinam, [ad M. P. V. in austrum] tradit Hadrianus ([a]), cui a solo natali Barlandi cognomen: Eamque à fertilitate & rerum copia, ædificiis, littorum & nemusculorum amœnitate, pratisque irriguis maximopere commendat. Stokius ejus meminit ad annum CIↃ CCXCV. additâ voce *Sciere*, quæ Anglis, etiam hodie, Præfecturam notat. Nobis insuper *Properè* & *Prope*, ambiguum quo sensu ille accipiat. Habuit tunc temporis suum Toparcham, ob perduellionis crimen, rotæ impositum. Hanc addit vastatam à Flandris mox egregiè mulctatis.

(a) Descript. Holl. & Zel.

X. BATENBURG.

OPidum *Batavodurum* idemque *Batavorum*, omnium sanè per universam *Bataviam* antiquissimum, hoc vernaculo vocabulo fuisse Parte I. dictum est. Medii ævi Scriptoribus vix ulla ejus mentio fit: nisi quod BURGI seu Arcis quæ superest Domini sæpius memorentur; Et quidem in Tabulis Adelheytæ Com. anni CIↃ CLXXXVIII. Tres ejus familiæ simul.

XI. BATHEM.

KInnemariæ locus est Abbatiæ *Hecmundanæ* submuranus, versùs occasum, hodie BACTUM. Meminit ejus Theodoricus V. in Diplomate anni CIↃ LXXXIII. Et Trajectenses in Catalogo suorum bonorum propiùs ad nostram pronunciationem BATCHEM scribentes. Stokius ([b]) BACHEM; significatu, idem cum *Bedehem*, Locum supplicationis denotans.

(b) In Dederico II.

XII. BATHUA.

QUoniam *Rheno* devecti, qui ex *Cattis* advenêre, Insulam intra *Rhenum* occupaturi BATTI; Consentaneum est agris divortio proximis omnium primo BAT-AWE nomen factum; quod & præ reliquis tenacius conservarunt. Ita ut hi superiores soli hodie **De Betauwe** nuncupentur.

Carolus Martellus in Litteris ([c]) anni IↃ CCXXII. BATHUAM *Pagum* appellat, id est, Tractum terræ ampliorem, qui in plures Comitatus seu Judicum Majorum territoria ferè dividitur. Et hi rursus in diversas Villas Prætorias [*Villicationes* vocarunt] sub quibus singulis *Ecclesiæ Parochiales*, *Cappellæ*, *Altaria*, id est, Vici majores, cum tenuioribus, & tenuissimis viciniis rusticis. Scriptor Antiquus Codicis Chronologici in Carthusia Montis Dei, Insulam *Rheni* PA-

(c) Ap. Hedam in Willebrordo.

(a) Lib. V. c. 25. TAVUM vocat. Apud Aimoinum (a) vel ejus Continuatorem novissimum, vitio scriptum est BAVIA, pro BATUA. Vulgò bipartitur in **Over-Betauwe** & **Neer-Betauwe** / ductâ linea utriusque terminatrice, à ripa *Rheni Wageningæ* adversâ, ad *Vahalis* proximam: Inferiore hinc descendente ad *Buranum* Comitatum intra *Lingiam* & *Rhenum*. Pro Rege Martelli Patre fuit inter hujus Pagi Comites Eberhardus, cujus bona publicata, maximam partem ex Pipini hæreditate crevit Martellus atque Ecclesiæ Trajectinæ addixit. Secuti Reges subinde plura; quæ anno CIↃ CCXXV. ex Arbirrii formula (b) permutata cum Gelris, suo jure vicissim cedentibus in illa omnia quæ in *Sallandia* tenere videbantur; *uti infra in Sallandia videbitur.*

(b) Ap. Hedam in Otto. II. Ep.

Igitur ab hoc tempore totus *Gelricus*, paucissimis exceptis, quæ *Clivenses* supremo in angulo possidere dicuntur, beneficio Episcopi Traj. in Catalogo Vassorum, atque adhuc possident. Religionem à Werenfrido Willebrordi socio huc allatam circa annum IↃ CCXXVII. ex vita Suidberti à Marchelmo conscripta atque à variis interpolatâ constat. Quâ & Beca (c) usus est.

(c) In Willebr.

XIII. BEDDEREWALDA.

HUnsingiæ vicus est *Bedehem* vel *Bedum* vulgo dictus; Huic subjectum Lucum BEDDEREWALDAM vocat Charta Werdensis.

XIV. BEDEHEM. BEDUM.

PErpetuum est omnium locorum vocabula, quæ in UM. terminantur, originem debere voci HEM. HEEM. HEYM. quâ designatur locus ubi suos quisque Lares posuit cum ara & foco. Cùm verò **Gebeden** sint *supplicationes*, & **Bede** *precarium*; BEDEHEM seu BEDUM erit *supplicationum locus*, vel *precariò*, collatâ stipe, constructum Fanum. Quale quidem hîc in *Hunsingiis*, dum exstitit integrum, supra Vici modum fuit: Quia primariæ, quam dixerunt Præpositturæ; ubi facer Ordo convenire solebat, teste Emone. Solum habet glebæ non infelicis, sed nimis depressum. Abest Groninga in arctum M. P. V.

XV. BEFTLO.

VIllam in *Hunsingiis*, id est, Caput Vicorum plurium, qui sub eodem Judice, Emo vocat. Quam, post hæc Rodolfi Agricolæ, immortalis memoriæ Viri, natales maximè decorarunt. Posteriores BAFFELT & BAFLO dicere consueverunt. Disjungitur *Groninga* ad arctum M. P. X.

XVI.

XVI. BEMELA.

VIcus cum Arce in BATHUA superiore nominis servans BEMMEL in dextra *Vahalis* ripa. M. P. II. & quingentis supra *Noviomagum*. Donatus *Trajectinæ* Ecclesiæ anno IↃ CCC L. ([a]) (a) Heda in Luthgero.

XVII. BENDELMERBRUC.

PAlus est, quam Eggebertus de Amestella, læsæ Majestatis Reus, ut in gratiam rediret, cum omni suo dominio permittere debuit Godefrido Episcopo Traj. interposito jurejurando, se omni jure suo cedere, atque beneficii loco recepturum Villicationis Officium seu Præfecturam, in filios etiam transmittendam. Nihil ambigendum quin una sit ex Paludibus ad *Amstellam fl.* licet nulla', quod sciam, memoria vocabuli supersit. Beca ([b]), BROEKLANDIAM vocare videtur. (b) In Theod. II.

XVIII. BENSCOOP.

VIlla Prætoria Toparcharum quondam cognominum, quibus ademta cessit, dono Joannis I. Holl. Com., Wolfardo Borsalio non longâ usurâ; Mox huic iterùm ablata ab Hannonio ad Tutelam Hollandiæ reverso. Ita Stokius ([c]): Superest eodem nomine M. P. II. aut III. ab Arce *Isselstenia* ad Occidentem. Est & alia BENSCOOP propè *Culenburgium*. (c) In Joan. I.

XIX. BENTHEM.

TUentæ pars altera, nisi quis malit Partem Quartam appellare Diœceseos *Transisalanæ*; Sub hac saltem eodem jure fuêre *Tuenta* & BENTHEM, uti & antiquitus in eadem Civitate *Tubantum*.

Heda donationem Pagi & Castri de BENTHEM Willebrordo factam accersit à Carolo Mattello; sed sine veteri authore. Constat verò ex Catalogo vetusto Vassorum Traj.: Quòd primi Castellani seu Comites, fuerint *Trajectinæ* Ecclesiæ Feudales liberi, pari conditione cum *Goræ* seu *Tuentæ* Comitibus: insuperque Episcopi Janitores, ejusque Legati perpetui administrandæ Justitiæ in Urbe *Trajecto* Burgravii titulo.

Comitum antiquissimus, cujus ad nos nomen pervenit, fuit *Otto Palatinus de Rhinegge* Frater Sophiæ nuptæ Theodorico VI. Hollandiæ Principi. Hic Castrum de BENTHEM Trajectinæ Ecclesiæ proprietatem denuò agnovit, atque in Feudum recepit anno CIↃ CXXXVIII. ab Herberto Episc. Traj. qui & sibi reservavit potestatem habendi Aulam & Oratorium in ipsa Arce; Testibus Membranæ Trajectinæ

 Scripto-

Scriptore, Stokio, Beca, Heda, aliis; Alter fuit *Otto Hollandus* superioris Sorore Sophiâ natus, idemque Gener; Stokio enim dicitur ([a]);

(a) In Flor. II.

Die BENTHEM behuwede.

Licet & alteram habuerit conjugem Henrici Arensbii filiam. Hujus tempore, in Hostium potestatem delapso Castro BENTHEM, inita fuit belli societas inter Episcopum Traject. Godefredum & Florentium III. Holl. Principem, Ottonis fratrem, eâ conditione; ut recuperati proprietas ad Episcopum, beneficium ad Hollandos rediret; Friderico I. Imp. hæc rata habente, anno cIↃ CLXVI. ([b]) Protraxit vero Otto vitam ad decrepitam usque ætatem: Anno enim cIↃ CCII. adhuc superfuit, de quo Diploma Theodorici VII. Nepotis; immò anno cIↃ CCIII. de quo Stokius.

(b) Ap. Hedam in Balduino.

Tertius Com. vocatur *Bodekinus* in Membrana Trajectina: *Balduinus* verò in Diplomate Pacificationis inter Ottonem II. Traj. Episcopum & Florentium IV. Holl. C. signatæ VII. Kal. Febr. anno cIↃ CCXXV. ([c]) cui subscripsit, unà cum *Goræ* seu *Tuentæ* Comite. Beka scripsit *Balduinus*; filium illum fuisse Ottonis Hollandi nemo disertim tradidit.

(c) Ap. Hedam in Ottone II.

Post hunc memoratur *Eilardus* de BENTHEM in Membrana Trajectina, qui ob operam egregiam bello navatam, beneficio Wilibrandi Episc. Tr. anno cIↃ CCXXVIII. totum *Lare*, destructo Castro, obtinuit, sed nusquam Comes vocatur. Uti nec ille *Otto de Benthem*, qui Batavica sua Gelro submisit ([d]). anno cIↃ CCLIII. Neque alter *Wilhelmus de* BENTHEM, cujus mentio in Catalogo Equit. cIↃ CCLV. ([e]) & in Tabb. cIↃ CCLXVI. ([f]) Sub ejus autem seculi finem, vixisse *Gerardum* Comitem de BENTHEM, antiqua manu ad Catalogum Vassorum Traj. in margine notatum reperitur. Eundemque resignasse in manum Episcopi Tr. *Feuda & Homines suos ad utilitatem Domini de Goij*. Cujus Familiæ primus Comes in BENTHEM fuisse videtur *Simon*, memoratus in litteris Joannis II. Holl. Com. anni ([g]) cIↃ CCCV. Alter *Joannes* Com. de BENTHEM, qui avita sua prædia in *Batavis* Trajectino Episcopo cedens vel vendens anno cIↃ CCCXXVIII. præfuisse noscitur, ex Instrumento, quod Buchelius Hedæ ([h]) adjecit. Quo etiam constat, duos eidem fuisse filios, *Simonem* & *Othonem*. Quorum in Nepotibus Goja Gens finem fecit, cum ipso ferè seculo XIV. De successione Everwini, Dynastæ Guterfvici heic dicere vetat Institutum. Saltem ante annum cIↃ CCCCXVII. non Comes, sed Præfectus de Guterswyk & Servus injurius à Friderico Episcopo fuit dictus & habitus, donec in fidei pignus dedidisset Arcem *Nienhuis* cum Opido. ([i])

(d) Ap. Pontan. II G. VI.
(e) Ap. Buchorn. Th. H. c. VII.
(f) Ap. Eundem in Leyda.
(g) Ap. Eundem cap. VII.
(h) In Joan. III.

Habet autem Comitatus hic ad septentriones *Covordiæ* Castellanatum; Ad orientem cum exiguo tractu ad meridiem *Monasteriensem* Episco-

(i) Heda.

Episcopatum ; Latus occiduum idemque longissimum M. P. XXX. vix brevius, claudunt *Transisalani*, ad quos Ulterioris Diœceseos jura pertinere liquidissimum est. Ipsum Castrum excelsæ rupi impositum, *Aldensale* ad ortum est intra I X. lapidem. Ingenium soli à *Tuenta* parum differt, nisi quod lapidicinis celebretur.

XX. BERETHE.

Vicus est *Præfecturæ Veteris*, tota regione inter *Amisiam* & *Lavicam* amplissimus, saltem censu maximus ; etiam postquam *Dullartus* partem plus mediam inde hausit, quæ sensim recuperatur.

Hic quondam fuit Familia Sanctimonialium, translata anno cIↃ CCIV. ad Cœnobium in Porta S. Mariæ ab eodem Patrono conditum. Teste Emone Werumensi. Abest autem Fanum BEERTÆ [sic hodie pronunciamus] ab Urbe *Groninga* in ortum M. P. XVIII.

XXI. BERGÆ.

Plurium numero hanc Villam, id est, Opidum appellat Otto III. Imp. (a) Certo indicio pluribus colliculis illam insidere vel olim insedisse : Ponitur autem Cæsari in Pago *Scaldis* ; vel quod amnis tum citrà fluxerit, vel quod Pagus ad utramque ripam fuerit protensus. Objectas habuit, eo tempore, Insulas minores tres *Sprange*, *Waterange* & *Steninge*, nostro incognitas. Utimur etiam hodie plurium numerô BERGEN cum additamento OP ZOOM, id rivulo nomen, qui portus usum præbet. Wendelinus in Legibus Salicis Urbi nomen facit *Barco in Zimis*. Hodie Marchionatus titulo, *Brabantiæ* portio; sed ejus, quæ *VII-Fœderatis* paret. M. P. III. à *Tola Zelandiæ* Opido. Stokius (b) simpliciter BERGEN vel BERGEN AN DEN ZOOM vocat.

(a) Ap. Buxh. in Gertr. Berg.

(b) In Deder. V.

XXII. BERGAN.

Villam vocat Theodoricus V. Holl. C. in Diplomate anni cIↃ LXXXIII. positam prope *Lugdunum* ab occidente *Rheni* fluminis.

XXIII. BERGENE.

Ejus meminit sæpius Membrana Trajectina. Medio sita est inter *Hardenbergam* & *Covordiam* ad *Vechtam* fl. Hodie Arx cum agnominatione GRAMS-BERGE.

XXIV.

XXIV. Bergum.

K*Innemariæ* vicus est Inventario Bonorum Traject. insertus. Hodie BERGEN, ad arenarios colles ab *Alcmaria* proximos.

XXV. Berum.

VIcus Parochialis in *Fivelingiis* nullam nominis mutationem passus: Cui Herbertus Episcopus Trajectinus & Fratres *Groningæ* & *Covordiæ* Præfecti ortum debere creduntur. Menco Werumensis ejus mentionem faciens ad annum CIƆ CCXLVII. narrat hujus Ecclesiam, unà cum *Holwirthensi*, solutam interdicto, quod incurrerant ob pugnam cruentam, Ruperto & Albertidis hinc & inde incentoribus commissam.

Abest M. P. XV. ab Urbe *Groninga* in ortum æstivum, ferè in ora *Amisiæ* fl.

XXVI. Berwouts Grave.

FOssa est ad *Vechtæ* citerioris Orientem non longe ab *Ademeteringe* & *Decem mansis*. In quam usque Præpositus Trajectensis S. Martino Jurisdictionem quæsivit solo jurejurando, anno CIƆ CCLXXXIX. Nominis vestigium heic nullum. Nota quidem *Barrewoudi Insula* seu **Waarder** infra *Wordenam*, sed ultra *Vechtam* & *Rhenum*, adeoque aliena.

XXVII. Bethlehem.

EX antiquissimis *Ostergoæ* Cœnobiis est in angulo *Tzietzerkanæ* Præfecturæ arcticotato. Quod ab exiguis principiis anni CIƆ CLXV. ita crevisse testatur Emmius noster ([a]); ut opulentia & luxus modum excesserit. Sibrandus Mariægardensis ([b]) B. Frederici opus esse celebrat.

(a) Rer. Fris. VII.
(b) In Vita Frider. cap. II.

XXVIII. Bevelandia.

OTto II. Imp. Abbatiæ *Gandavensi*, cui nomen à Bavone, ipsi etiam BEVELANDIÆ nominis Authore, dona verè regia contulit anno IƆ CCCCLXXIV. ([c]) inter quæ nonnulla in Pago BEVELANDIA. Est autem Insularum *Zelandicarum*, uti hodie vocantur, longè amplissima, maximè si illi accenseantur Minores, quæ supra *Walachriam* inter utrumque *Scaldim* sunt. Hadrianus Barlandus omnium amœnissimam vocat. Magnitudinem soli, per Sali sævitiam vix metiri licet, immò vix inire Insularum numerum. Maxima hodie ad meridiem est, à plaga *Zuit*-BEVELANDIA dicta; Ad septentriones

(c) Ap. Mejerum.

Digitized by Google

triones Minor, *Nort*-BEVELANDIÆ nomine, cum minusculis pluribus in circuitu.

XXIX. BIERVLIET.

F*Landriæ* Opidum ad *Fossam Ottonianam*, quondam Interscaldensis Insula: Ubi Guido Comes Florentium Hollandum Sororium, redintegrandæ concordiæ causâ, evocatum in vincula conjecit anno cIↃ CCLXXXVII. execrandâ Posteritati perfidiâ, uti Stokius ([a]) narrat. Hodie agit sub imperio *VII-Fœderatorum*.

(a) In Flor. V.

XXX. BIESELINGEN.

MEminit hujus Stokius ([b]) ad annum cIↃ CCC. Vicus est *Bevelandiæ* ad dextram *Fossæ Ottonianæ*, quà maximè in ortum vergit.

(b) In Joan. II.

XXXI. BLEESWYCK.

VIcus & Præfectura Florentio V. dicta in Diplomate ([c]) anni cIↃ CCLXXXI. Superest idem nomen M. P. VI. admodum à *Delfa* Urbe, ad orientem.

(c) Ap. Buzh.

XXXII. BOCHOLT.

ECclesia est in *Morinis* seu *Flandria* M. P. VI. ab *Axela* in occidentem, servans nominis BOEKHOUTE. Hanc Burchardus Episc. Traject. anno cIↃ V. addixit Ecclesiæ S. Salvatoris seu Out Monster.

XXXIII. BODEGRAVE.

HEnricus IV. Imp. in Diplomate anni cIↃ LXIV. hujus situm *Rheno* occidentalem facere videtur; cùm hodie sit adversa in ripa planè eodem nomine M. P. X. supra *Lugdunum*. Comitatus quondam fuit Theodorici Bavonis Clientis Trajectini, quem Imperator conqueritur S. Martino per vim fuisse ereptum à Theodorico V. Holl. Comite.

XXXIV. BODEKENLO.

INter VIII. Hobas [Tienthoven] numeratur, quas de suo adjecit Arnulfus Imp. IↃ CCCLXXXIX. Comitatui Gerolfi Frisii. Hodie veteris Coloni nomine oblitteratô, simpliciter LOO vocatur. Arx est *Hagam* inter & *obicem Lugdunensem* seu Leyden-Dam media.

XXXV. BOKELSDYK.

OFficium seu Præfecturam vocat Florentius V. in Diplomate cIↃ CCLXXXI. Superest hodie prope *Delfs-haven*, vulgò BEUKELSDYK.

XXXVI. BOLSVARDIA.

EMporium *Frisiæ Orientalis* antiquum quidem, sed incertæ ætatis. Libera etiam Imperii Urbs. Ostentat hodie refectum Franciscanorum Templum, anno cIↃ CCLXXXI. conditum, teste Scotano. Nomen haut dubiè traxit à *Bodolone* seu *Bolone*, Viro tunc nobili, & *Werth* seu tribunali, cui superstructum, qualia ad experimentum altissimi æstûs, secundum Plinium, veteres *Cauchi* & *Frisii* excitare solebant. Situm enim habuit ad *Burdipam* quondam sinum maris. Hodie à littore longius inter prata & arva opima valdè. Amplitudine inter Cislavicanas tertia; dignitate à Metropoli proxima.

XXXVII. BOMELE.

OPidum Gelriæ insigne in læva *Vahalis* ripa, quod *Salis* cognomento vulgo distinguitur ab altero ejusdem nominis *Ad Mosam.* Incertum à Salis coquendi Officina, an aliâ quadam ratione? Villæ seu Opidi appellatione jam venisse, cùm dono Ottonis III. Imp. anno IↃ CCCCXCVIII. & Henrici II. anno cIↃ III. cesserit Ecclesiæ Trajectinæ, constat ex Tabulis Hedæ recitatis.

XXXVIII. BOMLREWERT.

VEteris *Bataviæ Continentis* pars. Hodie *Gelrica* Dicionis Insula, post amnes semel iterumque junctos. Quicquid Episcopis Trajectinis heic emendicando quæsitum fuit, *Gelriæ* Principum fidei commissum patet ex Catalogo Vassorum. Quâ verò ætate, quove Auctore hæ Mosæ & Vahalis conjunctiones cœperint? non admodum liquet. Si Merovæo deberentur secundum vulgi opinionem; Jam aliquot secula numerasset hæc Insula tempore Catalogi conscripti interpolatique. Agnomen BOMMEL à Primario Opido esse, indiciô non eget.

XXXIX. BONSWAART.

(a) In Joan. II. (b) In Wilh. II.

HUjus mentionem faciunt Stokius (a) & Beka (b), ceu loci infra *Noviomagum* in *Vahalis* fl. ripa; Ad quem castra metatus est Joannes Hannonius, ejus nominis II. Holl. Comes, contra Albertum Imperatorem Hollandiæ possessionem quasi vacuam morte Joannis I. agnatis non relictis, Imperio vindicare volentem, anno cIↃ III.

cIↃ III. Videtur designari Ager recuperatus ex fluvio, propè Vicum *Boningen* M. P. infra d. Urbem, quem BONSWAART contractè ex *Bonings-waart* dixêre Annalium Scriptores. Neque ferunt Buchelii interpretationem de *Bomlrewaart*, verba Stokii;

Te Gorichem. - - - Ghinc te zeyle/ die Grave blide
En voer bi Nymagen an *Bonswaarde*
Ende met hem an sine vaerde
Al sijn Here op enen dach.

uti nec Bekæ; *Ex turri Noviomagensi, procul conspecta fuisse castra & Vexilla Joannis.* Cum inter *Bommelam & Noviomagum* distantia sit M. P. XXIV.

XL. BORKELOE.

Locus editus ad fl. *Berkolam* M. P. XII. supra *Zutfaniam*, ubi, in *Fossam Drusianam* exit. Quondam Gentis cognominis Præfectura Gelrico beneficio. Mentio ejus est in Diplomate ([a]) Ottonis III. Gelr. Comitis cIↃ CCXXXII. Et in Membrana Trajectina ad eundem annum; Ubi Henricus de BURCLO (malè Burdo) nactus narratur *Covordiæ* & *Trentiæ* dominium, cum filia Rodolfi pridem crurifragio plexi.

([a]) Ap. Pontanum Hist. Gelr. VI.

XLI. BORKNA.

INsula est inter *Amisiæ* ostia, proximè præteritis seculis non adeo longè inter se distantia ac olim. Num ætate Werumensium adhuc integra fuerit, an verò imminuta & à *Bant* divulsa? Illi quidem non prodidêre; sed hoc saltem; Crucesignatos in *Palæstinam* euntes hinc solvere solitos fuisse. Alfridus ([b]) Mon. Episc. Scriptor seculi IX. illam accenset *Frisiæ* inter *Amisiam* & *Lavicam*. Menco verò *Emisgonibus* ad *Amisiæ* orientem, quorum adhuc hodie est. Reliqua vide Parte I. in *Burchana* & hîc supra in *Bant*.

([b]) In Vita Ludgeri.

XLII. BORNEGOE.

VOcabulum notat agros ad *Bornam* seu *Bornedam* sinum. Membrana Trajectina Decanatum vocat, id est, Districtum in qua Ecclesia Major, Collegiata vulgò dicta, Cathedralis quoddam instar habens; Cui, qui præsidet Decanus appellatur. Illos indicari putem, qui, ab *Oldeborn* in Sinum, prætexuntur amniculo cognomini *Bornæ* seu *Burdipæ*.

XLIII. BORSALIA.

Villa Prætoria insignis in *Bevelandia* australi, latere occiduo. Peculium quondam Gentis cognominis Annalibus nobilissimæ: Wolfardus tamen versipellis ille atque infamis Paratragœdus sub Florentio V. & Joanne I. maculæ non modicum aspersit. De quo multa Stokius.

XLIV. BRACOLA. BROCLEDE.

Villa Prætoria est ad quam Vicani de *Thule* in jus eunt. Accessit Ecclesiæ Trajectinæ anno IↃ CCCXXXVIII. dono Rotgarii Comitis. BROCLEDE Stokio dicitur, poniturque ad *Vechtæ* sinistram M. P. V. supra *Mudam*. Hodie vocatur 't Gerecht van Breukelen / pene ad Trajectensem Urbem pertinens.

XLV. BREDA.

Hujus mihi occurrit mentio prima ad annum CIↃ CCXIII. in Diplomate (a) Wilhelmi I. Holl. Comitis, quod testimonii sui parrocinio [sic loquitur Comes] Godefridus de BREDA inter ceteros munivit. Vetus igitur Dynastia est, incertum *Striensis*, *Riensis* an *Campiniensis* Pagi: *Menapici* saltem fuit, quatenus hodie est sub Imperio *VII-Fœderatorum*. Opidum cognomine, opulentum, amplum, firmum, Caput est Dicionis, quam *Baronatum* vocant ad *Menapiorum* amnem, De Merck / M. P. XV. à *Thuredrechto* in austrum.

(a) Ap. Buxh.

XLVI. BREDERODE.

Kinnemariæ Arx littoralis est, medio situ inter *Harlemum* & *Beverovicum*, à qua Nobilissimæ rotâ Hollandiâ familiæ nomen, Deductum, ut volunt, à Virga Regia seu majore, heic fortè usûs præcipui agris dimeriendis. Arnulfus Comes à Frisiis cæsus anno IↃ CCCCXCIII. præter successorem Theodoricum III. filium alterum Sifridum reliquit cognomento Sicconem vix decennem, Theodorico V. celebratum à largitionibus in S. Adelbertum Hecmundensem profusis. *In Diplomate* anni CIↃ LXXXIII. Stokius eidem Sifrido Uxorem dat Castrichemiam formâ incertum an præstigiis notabilem, atque ex hac magnam progeniem, solis Hollandiæ Principibus dignitate secundam. Hanc BREDERODIORUM & *Teylingiorum* esse, uno ore asserunt Hollandici Scriptores, nostri & superioris seculi, idque per summam rationem: Cùm aliâ nulla sit dignatione pari, cui Principes suis insigniis uti permiserunt, ea, quâ solent Minores natu, distinctione. Quòd vero Agnatorum Jure censiti non fuerint ab Alberto Imperatore

tore post mortem Joannis I. Id gradus longinquitati, vel Progenitoris Sifridi inæquali conjugio, imputatum reor. Locus, ubi hodie Arcis bustum, retinet nomen, extincta nuper Gente, maximis rebus gestis immortalem adepta memoriam.

XLVII. BREDEVOORT.

VOce significatur *Latus trames inter palustria* ex Pontium Longorum genere. Ad quem Arx fuit jam anno CIƆ CCXLVI. uti constat ex Diplomate (a) Hermanni Com. de Loen, qui ejusce Domus suæ [id est, Arcis, stilo seculi] Beneficiarius *Gelro* factus est. Perdurat hodie magis munita in Comitatu *Zutfaniæ* versus australem limitem. (a) Ap. Pontan. H.G.VI.

XLVIII. BRIDORP.

ARx fuit ad Obicem emissarium: Vocatur enim Stokio ad annum CIƆ CCXCVII. & CIƆ CCXCIX.

'T Huys tote Bridorp-Sluse.

Inter *Hagam* & *Thuredrechtum* fuisse innuit narrationis series. Sane ad *Bridorpam Scaldiæ* minimè spectat.

XLIX. BRITTIA.

SOli Procopio dicta, Nemini illorum, qui ante vel post vixerunt & scripserunt unquam memorata. Ipsi tamen est Insula non exigua in *Oceano*, prope *Rheni* ostia, *Britanniam* respiciens, tribus Nationibus habitata *Britonibus*, *Anglis*, *Frisonibus*, suis seorsum Regibus gubernata, atque adeo copiosa, ut Colonos quotannis emiserit in *Francorum* littoralia tunc Cultoribus ferè vacua. Eorundemque Legaris etiam suos junxerit ad Justinianum Imperatorem. Qui forte [quod de Francis constat] emancipationem ab Imperio Rom. insulari huic Regno impetrarent propriam.

Insulam Regno parem, tam subito in *Oceano* natam, brevi iterùm disparuisse, non tam mirandum est; quam quòd tanti miraculi fama, [quæ, impossibile quin orbem implesset torum] ad unicum diverterit Procopium. Narrare itaque ipsum putem, quæ confuse in *Græciam* allata; de nupera *Anglorum* & *Frisonum* transmigratione in *Britanniam*, atque illorum admissione in partem Regni, sic unà habitati à *Britonibus*, *Anglis*, *Frisonibus*, quibus promiscue remansit perpetuum commercium cum Popularibus transmarinis ad *Rheni* ostia considentibus, missitatis vicissim auxiliis quà versùm opus. Hoc autem institutum ne quid impediret, excitasse, vel instaurasse super veteris fundamenta, novam Arcem ad *Rheni* Ostium medium, cui etiam novum nomen BRITTIAM addiderunt: minimè verò; quod in *Oceani* Insulâ ad id usque tempus ignoratâ, novum condiderint

rint Regnum. Cœterùm cùm cis *Rhenum* fines protulerant; atque de iisdem contentio cum *Francis* oriri poterat; suos etiam misisse Legatos ad Cæsarem procuraturos, ut deinceps pari jure gauderent iis, quæ possidebant intra veteres Imperii limites, quo *Franci* suis.

Hunc in modum si instituta fuisset narratio, nemo facile fidem negasset Procopio, utut singulari. Atque sic tandem de origine Arcis BRITTIÆ, vernaculè 't Huys te Britten / præclare quoque constaret: quam Parte I. haut perscrutabilem pronunciasse jam piget.

L. BROKE.

VIcus *Silvanorum*, immo totius *Veteris Præfecturæ* primarius, Satrapæ sedes, in duas prægrandes Parochias divisus, ita Menconi Werumensi appellatur. Hodie *Zuyt-* & *Nort-*BROEK. Uterque pari ferè spatio M. P. XIII. ab Urbe *Groninga*. Sed & BROKÆ appellatio omni Præfecturæ data reperitur, eidemque divisæ in Orientalem & Occidentalem, apud Menconis Continuatorem, quippe cui *Astawalda* BROKÆ Orientalis Vicus est.

LI. BROKOPE.

VIcus amplissimus est *Stellingwerviæ* Orientalis, quæ *Forestensis* Pagi Præfectura, *Trentæ* contermina: sub *Luco Baduhennæ* mox incipiens ubi tractus *Holtpadæ* desinit. Membrana Trajectina ponit illum ad tramitem, qui per paludem in *Trentam* ducit. Hodie duplex Olde ende Nye BERKOOP.

LII. BRUMMEN.

INsignis *Feluæ* Vicus est M. P. IV. supra *Zutfaniam*, cujus mediam partem Withmannus Com. Z. concessit Abbatiæ *Altinensi*. Confirmantibus donationem Ottone I. anno IↃ CCCCLXX. Ottone III. IↃ CCCCXCVI. & Lothario II. CIↃ CXXXIV. Servat nomen incorruptè.

LIII. BRUOCHE.

PRædium vocat Henricus IV. Imp. id est, Territoriolum, quod placando B. Petro donavit in reparationem Ecclesiæ hujus tituli incendio consumptæ anno (a) CIↃ LXXVII. Buchelius putat esse *Broekhoven*. Mihi videtur indicari omnis tractus *Broecanus* ubi Lange-Broek / Broekhuysen / Herdenbroek / &c. paullo infra *Dorestadium*, secundum dextram *Rheni* ripam, pertingens ad Adeutweteringe seu d'Oude Wateringe; cujus Jurisdictionem Ecclesiæ suæ jurejurando asseruit Trajectinus Præpositus anno CIↃ CCLXXXIX. secundum Tabulas jam sæpius adductas.

(a) Ap. Hedam in Conrado.

LIV.

LIV. BUCHORST.

CAstrum fuit in *Isalæ* ripa sinistra *Voerstis* duobus adversum, atque una cum his ab Ottone II. Episcopo Traject. excisum cIɔ ccxxII. Locus hodie nomen servat M. P. V. quasi supra *Campos*. Meminere ejus Membrana Trajectina & Beka. ([a])

([a]) In Ottone II.

LV. BUESCOOP.

ITa in litteris ([b]) Florentii IV. Holl. Com. cIɔ ccxxxII. in G. vero Amstelii BUKISCOPE cIɔ ccxxxIII. Hodie *Boscoop* ad *Goldam* rivum M. P. III. cis *Rhenum*.

([b]) Ap. Buxhorn.

LVI. BUESICHEM.

ECclesia & Curtis vocatur in litteris Andreæ Episc. Tr. anni cIɔ cxxxI. Hedam ([c]) male excepisse cIɔ cxxx. tum indictio IX. tum alterum, quod subjicit, Diploma abunde indicant. *Burani* Comitatus vicus est M. P. supra *Culenburgium* ad *Leckiæ* lævam, quem transpositis Diphthongi elementis BEUSICHEM hodie nuncupant. Veteres enim *Rheni* accolæ in Diphthongis *e* & *u* priori loco *u* posuere, quod nobis posteriore. Fuit ab hoc loco Nobili Familiæ gentilitium nomen de BOESINGEM. passim in Tabulis & speciatim in Ottonis II. Episc. Traject. cIɔ ccxxvIII. pro quo iterum legendum jubet indictio XIV. cIɔ ccxxvI. maxime, cum Otto annum cIɔ ccxxvIII. vivendo non attigerit.

([c]) In Andr. Episc.

LVII. BURDINE.

SIc quidem scriptum reperitur apud Fredegorium Scholasticum seculi VIII scriptorem; sed librarii vitio opinor, nimis quam proclivi, propter eandem prope figuram litterarum Longobardicarum *n* & *p*. BURDIPE enim seu BOERDIEP verum sinui nomen fuit, qui post Romanorum tempora aliquot seculis, late patuit inter *Westergoam* & *Ostergoam*, atque jam dudum in terræ quoddam uber iterum conversus est. Scholasticus hujus Ostium, quod classe subiit Carolus Martellus anno Iɔ ccxxvIII. ponit inter duas insulas seu **Ogen** vel **Agen** / quas à plaga occidua & eöa, ignoratis nominibus propriis, distinguit. Emo Werumensis Abbas ad annum cIɔ ccxxIv. BORDENAM scripsit. Membrana Trajectina, quæ ejusdem seculi XIII. est, *Frisiam*, quam *Orientalem* Hollandi dixere, per BORNEDAM bipartitur, hinc ad *Stauriam*, inde ad *Lavicam*. Quibus vocibus propius accedunt ad alteram appellationem BORNE & BORNDIEP, qua etiam usi sunt *Frisii* de *Sinu* pariter & amniculo in illum ab *Oldeborn* profluente. Auctus austrini sinus hujus fuit



inte-

Digitized by Google

interitus. Atque per hæc explosa putem vulgata de *Burdone* commenta.

LVIII. BUREN.

QUondam intra *Teisterbantiæ* Comitatus fines, inter *Rhenum* & *Lingiam* fl. M. P. III. à *Dorestadio*. Opidulum & Arx; postea *Gelricum* Beneficium, de quo in Diplomate ([a]) Anni CIↃ CCXCVIII. ubi Castrum vocatur. Inventarium bonorum Trajectensis Ecclesiæ adscripsit totum S. Martino. Alardi de BUREN fit mentio in Diplomatis ([b]) anni CIↃ CCXXV. & CIↃ CCXXVIII. seu verius XXVI. Et alio ([c]) anni CIↃ CCXCVIII. Ottonis & Alardi filii.

(a) Ap. Pontanum Hist. Gelr. VI.
(b) Ap. Hedam in Ottone II.
(c) Ap. Pontanum d. lib. VI.

LIX. BUSCHUSA.

THeodoricus V. in diplomate anni CIↃ LXXXIII. quô enumerat largitiones omnes à Majoribus & Agnatis in Abbatiam *Hecmundanam* collatas; recenset & BUSCHUSAM, circa quam Florentius Pater elargitus est Mansus XXXII. Quo vocabulo sub id ætatis usi sunt per omnia genera, *Mansus*, *Mansa*, *Mansum*, & quidem masculo, modo Declinatione secunda, modo quarta. Num sub hac variatione, significatus quædam differentia lateat, non admodum liquet. Ut plurimum certè per *Mansos* significantur Hoben / id est, Ruricolarum Mansiones, etiam insigniores, quibus Villicus præest, uti disertim in Diplomate Theodorici VII. CIↃ CXCIX. Stokius ([d]) tamen hosce *Mansus* interpretatur Morgen / quod Agri mensura est his locis cognitissima; Sic semel

(d) In Deder. II. & Florent. I.

In *Huuslede* vier *Morgen* vrie
Ende daerto die Visscherie.

Et iterum

Bi *Delf* an beiden siden
Negentien *Morgen* te selben tiden.

Quæ in Diplomate expressa ad hunc modum;

Priora: *Inter rivulum Sculingbeke & Hureslede Mansus IV.*

Posteriora: *Juxta Delf X. Mansus, & ex alia parte Delf IX. Mansus.*

Cæterum sub finem; Extenditur Mansuum IX. longitudo, ad M. P. V. à *Scipluy* ad Maaslandsluys; Quo ipso pene subvertitur Stokii interpretatio.

BUSCHUSA autem hæc *Kinnemariæ* vicus esse videtur, nomine

mine BUS ad *Thæ* caput, M. P. IV. ſupra *Beverovicum* ad ortum. Eſt & alia *Boshuſa Lugduno* ſubmurana.

LX. BUSCUM DUCIS.

STokio ad annum cIↃ CCLXXVII. **Ten Bufſchen** & **s'Hertogen-Buſſche** dicitur. Egregia jam tum Urbs, forte & Metropolis Tetrarchiæ *Brabantiæ*, quæ hodie ab illa agnominationem **de Meyerie van s'Hertogen-Buſſche** habet. Nempe in quam tunc convocarat Dux Joannes I. Viros in arte militari principes, magno numero, ad celebre certamen ludicrum *Tournoy* vulgo dictum; ut equeſtri cingulo decoraret ſic merentem Florentium V. Holl. C. Proamitæ ſuæ Nepotem. Sub Duce Joanne III. utique ad annum cIↃ CCCXII. jam in IV. Primariis *Brabantiæ* numeratum fuiſſe, adducto Diplomate, liquido probatum dedit Haræus Rerum Belgicarum Scriptor nobiliſſimus. Igitur non tantæ novitatis eſt, quam credit Doctiſſimus Hadr. Valeſius: Utut inter antiquiſſimas cenſeri nequeat. Joh. Iſ. Pontanus Vir Graviſſimus, incomperta pro compertis tradere haut ſolitus ſe inveniſſe teſtatur (a) *Henricum Bellacem Brabantiæ Ducem* (*anno Principatus ſui Primo*, id eſt, cIↃ CLXXXV. ſecundum Chron. Magn.) *excidiſſe ſilvam, ut locum faceret munitu opportunum, contra infeſtas Gelrorum impetitiones, novæ Urbi*, cui ex re factum nomen *Buſcum Ducis*, Latine vertitur *Silva*. Haræus tamen profert Chronologicon tritum:

(a) [Saltem in Chronico Magno Belg. id ipſum legitur.]

GODEFRIDVS DVX E SILVA FECIT OPIDVM.

Quo hæc eadem confecta arguuntur à Duce Godefrido Henrici Patre, anno cIↃ CLXXXIV. qui vitæ ejus ultimus vel penultimus ſecundum Chronicon M. Belgicum & Haræum: Sed Divæus jam fatis functum ait Godefredum anno cIↃ CLXXXIII. XII. K. Sept.

Urbs dudum celebris, magnifica, perampla, munitiſſima, Caput IV. Partis *Brabantiæ*, quacum in Dicionem *VII-Fœderatorum* tranſiit. Impoſita eſt *Dummelæ* & *Abæ*, amniculorum prope ortorum, Confluentibus M. P. III. Superius, quàm communi alveo in *Moſam* influunt, ad Munimentum *Crepicordium* vulgo *Crevecœur*.

C

I. CALLINGEN.

LOcus quidam in vicinia *Alcmariæ* & *Franloæ*, ſecundum Diploma Theodorici V. Holl. Com. anni cIↃ LXXXIII. Quintum dico, licet ipſe ſe Quartum dixerit, nullo numero habens Theodoricum Patruum cœlibem, in Hecmundanam Abbatiam immunificum; Cui Florentius, quem Patrem ſuum laudat, ſucceſſit anno cIↃ XLVIII. Neque enim ob hunc lapſum, ſuppoſitionis ſuſpectas habeo Tabulas: Immò ne quidem propterea, quod Henrici IV. Imperatoris annus XX. [loco XXVII.] copuletur in fine cum Indictione VI. & anno Ær. Chriſti cIↃ LXXXIII. Ruditer admodùm. Sed hoc indocti Librarii, illud inofficioſi Principis peccatum crediderim.

(a) In Deder. 1. Stokius ([a]) leniſſimâ aſpiratione uſus, habet HALLINGE.

> In Dʒoente gaf hi hem rentede dinge.
> In Alcmaer ende in *Hallinge*.

Periiſſe videtur, hoc quicquid fuerit nominis.

II. CALVESLOE.

UNum ex tribus territoriolis propè *Lacum Harlemenſem*, quod Florentius V. in Diplomate anni cIↃ CCLXXV. ad paluſtrem tractum *Gere* pertinere dixit. Hodie vulgò KALSLAGE vocatur.

III. CAMPI.

(b) Rer. Friſ. Lib. I. & XVIII. CAMPOS & CAMPENAM vocat Emmius ([b]) noſter Urbem Tranſiſalanæ Diœceſeos ſecundam. *Vetus* enim *Sala*, Druſi foſſione abactus & aggere præcluſus, huic ſiniſter fuit ceu *Feluæ* & *Sallandiæ* diſtinctor. Novus vero alveus, dexter & totus *Salico* in Solo. Opidum, cui apud Ptolemæum *Navalia* nomen, idem eſſe cum CAMPIS, recepta quidem opinio eſt; ſed non magnæ probabilitatis: Magis enim eſt, illud fuiſſe excitatum eò loci, ubi *Druſi Foſſa*, recepto *Vechtâ*, in *Lacum* ſpargitur; quàm ubi *Sala* obturatus, CAMPORUM ſitu. Hactenus igitur haut comperta dici poterit Urbis origo, de qua nec aliunde conſtat. Memoratur autem CAMPEN in litteris anni cIↃ CCLXXX. Pontano adductis ([c]) ea, qua hodie eſt, dignatione pari cum *Daventria* & *Zwollis*, ſed loco infimo, quæ nunc medio conſidet. Poſtquam *Druſianæ Foſſæ* aditus plures in La-

(c) Hiſt. Gelr. Lib. VI.

cum

cum fuerunt patefacti, incertum manu an vi fluctuum, maxima loco accessit opportunitas exercendo transmarino commercio; Quo & quondam floruit, in præsentia ad modicam redacta fortunam, ne parem quidem cum Sociis Civitatibus, quibus splendore & amplitudine cedit. Abest à *Zwollis* M. P. VII. à *Daventria* XX.

IV. CAMPINIA.

HEda scrinii Trajectini diligentissimus perscrutator edidit Catalogum de Vassis ejusdem Ecclesiæ, ementitæ licet ætatis, seculo XII. tamen nequaquam inferioris. In hoc perscriptum; *Totam* CAMPINIAM, *usque* TOURNOUTERVOERDE *beneficio Episcopi Trajectini, ab illius Dapifero,* BRABANTIÆ *Duce teneri.* Veteris *Menapiorum* agri inter *Mosam* & *Scaldim* pars magna est, hodie **De Kempen** dicta; in Dicione *VII-Fœderatorum* quatenus *Bredani* & *Buscoducensis* territorii, quod ultra ad *Leodicenses* spectat.

Antiquiores CAMPANIAM scripsisse constat ex Vitæ S. Trudonis Scriptore, qui floruit sub seculi XI. finem. Gotrefridus Wendelinus optimus Legum Salicarum interpres, plura conquisivit testimonia, quibus probet, huic Regioni, per secula complura, *Taxandriæ* quoque nomen fuisse. Quod si hisce documentis omnem derogarint fidem Calvinici genii homines (sic vocat qui charagma non acceperunt, charactere signatus) hanc solam ob caussam; quia Catholica, id est, à Clero Pontificio profecta, ceu plerunque superstitionibus referta; Hactenus illos minore sagacitate & indaganti felicitate usos, quàm solertissimum Wendelinum, utique fatendum est. Neque enim Authoris error quicquam officit fidei Instrumenti. Hîc autem vel aliunde vacillans fides suffulcitur ipsius rei veritate altiùs repetitâ: *Taxandros* in Romanorum custodia egisse inter Euripos, quos hodie *Zelandicos* vocamus, qui *Menapiis* à fronte, Parte I. ostensum est. *Francos* verò *Transrhenanos* cognomento *Salios*, post abducta *Rheno* Romana præsidia (quod jam factum tradit Zosimus Honorio & Theodosio Juniore imperantibus) mox cis amnem firma habitacula, hactenus negata, sumpsisse; atque omnium primò Littorales eò adegisse, ut à *Romanis* desciscerent & in libertatem sese assererent: Raros scilicet haut stabile terræ Dominium, sine maris Imperio; ex eodem Zosimo præclarè intelligitur. Unde maximè vero consentaneum fit; *Taxandros* ceu proximos huicque instituto in primis opportunos, ante omnes in societatem Libertatis fuisse protractos, unà cum *Menapiis* à tergo vicinis: Atque horum exemplo *Armoricos* alios. Sedem verò nascentis cis *Rhenum* Reipublicæ constituisse inter *Mosam*, *Demeram* & *Oceanum*; ex Legibus Salicis luculenter adeò ostendit Doctissimus Wendelinus, ut, de ea dubitare ampliùs summæ stupiditatis sit. Nil mirum itaque TAXANDRIÆ vocabulum oræ maritimæ proprium, sæpiùs de universa regione usurpatum; manente interim & *Menapici*

Pagi appellatione, adhuc ſub Carolinis. CAMPINIÆ verò ſeu *Campaniæ* nomen, quod diu cum utroque viguit, & nunc ſupereſt ſolum, nunquam latioris extenſionis fuiſſe putem quam hodie **De Kempen**.

V. CAMPTHORPA.

K*Innemariæ* viculus eſt, in extremo Orientis littore, nominis ſervans CAMP, ſine THORPÆ adjectione. Annotatus eſt in Inventario Bonorum Eccleſiæ *Trajectinæ*.

VI. CAMPUS FLORIDUS.

ABbatia Ciſtertienſium fuit in *Weſtergoa* Præfecturæ *Wonzeranæ* M. P. II. à *Bolſvardia* in ſeptentriones. Vulgò quondam FLOOR-CAMP vel **Bloem-Kamp**; Hodie **Olde-Clooſter**. In paucis ruſticorum ædibus ſervans nomen. Emmius (*) *Clari Campi* coloniam facit, non multò poſt annum CIↃ CLXV deductam.

(a) II.F.VII.

VII. CASTERCHEM.

K*Innemariæ* vicus cum nomine perdurans M. P. VI. ab *Alcmaria* ad occaſum. Theodoricus V. in Diplomate anni CIↃ LXXXIII. memorat Arnulſum Proavum ſuum heic quædam donaſſe *Hecmundæ* Cœnobio. Et Stokius Sifridum Arnulfi filium hinc uxorem ſibi duxiſſe.

VIII. CATS.

B*Evelandiæ Septentrionalis* vicus eſt, vix hodie aquis emergens. Habuit cognomines Dynaſtas, quorum in Annalibus paſſim plurima mentio eſt. Meminit Loci Stokius ad annum CIↃ CCC.

IX. CATSANDE.

T*Acſandros* veteres nomine refert, hæc ſola auſtralis portio inter *Scaldim* antiquum & *Foſſam Ottonianam*. Poſt, quàm hæc acta fuit, Flandrici Juris, nunc in VII-Fœderatorum poteſtate. Stokius ad annum CIↃ CCXCIV. pro CATSANDE ſcripſit CARSANDE ad vulgi vitioſam pronunciationem: Item CASANT pro CATSANT, vicum *Catſandriæ* intelligens ad *Foſſæ* oſtium.

X. CHIMELOFARA.

FLumen vocatur, oppoſitum alteri *Medemelachæ* appellatione, inter quæ *Gemerchi*. Otto III. Imp. largitione prodigus in Theodoricum

ricum II. non modo ejus Ditiones cis *Rhenum* in *Hislam* fluvium promovit; Sed & ultra *Kinnemum* rivum *Frisiorum* ferè omnia adjecit in CHIMELOFARAM usque: Ita enim legendum arguit vocabulum, quod hodie superest propè à *Stauria* HEMELUMERFAART. Lacus est oblongus, quem *Flevus* transversim permeat, à quo ceu *veteri* navium *itinere*, *Hemelumer-Oldesaart* nomen, Præfecturæ in *Frisiis* hodie manet. Lacum ipsum **De Fluissen** appellamus. Dicitur verò flumen in Diplomate anni IↃ CCCCLXXXVI. more seculi, cùm etiam Lacus, flumina audirent: ut *Bamestra* Flumen: de quo supra, & in hoc ipso Diplomate *Medemelacha* flumen.

XI. CHIMELUM.

HOdie HEMELUM vocatur Vicus præinsignis pervetusti nominis, ad navigabilem alveum, qui *Stauriam* ducit, atque, ab hoc vico *Hemelumerfaart* dictus fuit. Postea distinctius Frisicô idiomate *Hemelumeroenfert*, fossâ alterâ ad *Hindlopam* ductâ, cui nomen *Nieuwe-Faart*. Ante quàm *Flevus* in Islam perruptus, ingentem qui nunc est, sinum effecit, *Staurienfis* Comitatûs pars fuit, deinceps *Westergoæ* adscriptus cum omni Præfectura, cui, ceu Caput, de suo nomen fecit; receptâ etiam apud se *Staurienfi* Abbatiâ, post urbem, cum celebri Cœnobio S. Odulfi, fluctibus haustam. Veteres pro *Hemel* dicentes *Himel* & *Chimel*, nuncuparunt CHIMELUM, uti constat ex dictis præcedenti argumento. Abest à nova *Stauria* M. P. III. largiter, in ortum hibernum.

XII. CIRCARIA FRISIA.

AGrum, quem Henricus III. Imp. in Diplomate ([a]) anni CIↃ XL. vocat *inter Emese & Laveke*, *Groningæ* perichorum, vulgò **De Ommelanden van Groningen**/ Latinè sic commodè verti credidit Menco Werumensis, Abbas recens creatus. Omnis hæc Regio antiquissimis temporibus in particulas pene infinitas scissa juris dicundi ergò: In Ecclesiasticis saltem jam à Ludgero & seculi VIII. fine, aliam recepit divisionem separtitam. Nempe 1. In *Hugemercham*, quo nomine comprehendit Alfridus Vitæ Ludgeri Scriptor ([b]), quicquid inter *Lavicam* & *Groningam* lævæ *Unsingis* ripæ prætexitur. 2. *Hunusgam*, id est, *Hunsingiam*. 3. *Fivilgam*, id est, *Fivelingiam*. 4. *Emisgam*, id est, *Veterem Præfecturam*. 5. *Rediritgam* seu Reidensem Terram uti vocat Emo. 6. *Insulam Bant*. Sextæ hujus partis quod superest perexiguum, hodie *Transamisianis* asscribitur; uti & Quintæ Inferiora inter *Abam* & *Amisiam*. Reliquæ unius ejusdemque Civitatis esse perseverant. *Fivelingia* quidem minutulas universitates omnium prima unum in Pagum seu Comitatum maximum, jam Ottonum ætate, collegit; *Hunsingia* suas initio in duos minores Comitatus postmodum

(a) Ap. Hedam in Bernulfo.

(b) Lib. I. cap. IV.

etiam coadunatos. Quæ ad *Unsingis* meridiem, IV. Pagos minores & ipsa dudum agnovit, sed nullô sibi nexu peculiari devinctos; immò sæpius aliis, *Groninganis*, *Hunsingiis*, *Fivelingiis*, *Menternensibus*, *Reideriis*, &c. De *Midachiis* & *Hugemerchiis* constat ([a]) illos accensitos fuisse *Hunsingiis* adhuc anno Christi cIↃ CCCLXI. minimè *Langowaldiis*, *Fredowaldiisque* uti hodie. Cùm igitur recens sit hujus occiduæ partis coitio Pagum in unum, recentior omninò est aggregatio illius ad duos alios æquo jure, qui jam conjunctim *Ommelandiarum* appellationem sibi solis vindicant? Certè ætatis neutiquam anterioris, quàm commune illud Asylum *Groningæ* horum trium consensu, consecratum, quod *Hovetmannorum Cameram* vocari voluerunt. Quicquid reliquum est inter *Amisiam* & *Lavicam*, Urbs ipsa sua sub mansuetudine collegit sibique addidit.

(a) Ex Emm. R. Fris. Lib. XIV.

XIII. CLARUS CAMPUS.

HUjus meminit Emo ad annum cIↃ CCIV. ceu Monasterii Cisterciensium: Et Membrana Trajectina ad annum cIↃ CCXXX. Primaria quondam *Ostergoæ* Abbatia *Dantumanæ* Præfecturæ. M. P. II. à *Dockum* versus occasum. Prima ejus initia refert Emmius ([b]) ad annum cIↃ CLXV. Superest nomen CLAARCAMP.

(b) Rer. Fris. Lib. VII.

XIV. CORTAGOSURA.

IN Pago *Bevelandiæ* ponit hoc nomine Locum Otto II. Imp. in Diplomate ([c]) anni IↃ CCCCLXXIV. Extat hodie parte septentrionali CORTGENE. Hunc designari, valde sollicitat affinitas vocis.

(c) Ap. Mejer.

XV. COTHEN.

VIcus est ad *Rheni* emorientis caput. M. P. III. ab obice ad *Doreftadium* injecto, lævo alveo. Hujus meminit Godeboldus Episcopus Trajectinus in Litteris anni cIↃ CXXVI. Perseverat eodem planè nomine.

XVI. COTERTOL.

OTto Magnus Imp. in Diplomate ([d]) anni IↃ CCCCXLIII. vocat *Theoloen de piscatione in Pago Salon & in fluvio Isla, quod vulgari nomine* HABEDOL *dicitur*. Otto III. Imp. in suo anni IↃ CCCCXCVI. *Hachdol*. Lotharius II. denique in suo anni cIↃ CXXXIV. emendatè COETERTOL. Superest hodie vocabulum in COTER-*Schans* munimento ad *Islam* propè *Zwollas*. Mentio etiam ejus fit in Daventriensium litteris anni cIↃ CCXCI.

(d) Ap. Pontan. H. G. V.

XVII. Co-

XVII. COVORDIA.

NOmen habet ab angusto tramite inter Paludes VORDE vulgò dicto, & ab actu Vaccarum; KOE enim Vacca *Frisiis* est. Quia verò per hunc potissimum intratur *Frisia*, munitissimo Castello, à temporibus incomperti initii, præclusus fuit aditus. Castellani nomen Præfecto ejus jam tum inditum etiam hodie manet. Estque hic Castellanatus ex minoribus *Trentæ* Comitatibus præcipuus, cui tandem in omnes imperium, Herberti Episcopi Traject. beneficio in Ludolfum Fratrem collato, anno cIↃ CXXXI. Et repetitò cIↃ CXCVI. à Balduino Episcopo in gratiam sui quoque Fratris Ottonis Comitis *de Benthem*; Cui *totum Trentoniæ dominium* [sunt verba Bekæ] *dedit gubernandum, atque eundem insuper* COVORDIÆ [Ludolfianis ereptæ] *constituit Castellanum Trentonicæque plebis Justitiarium.* Sed novennii tantùm nec quieta possessione: Mox sua vindicantibus, ad quos illud Jus Herberti beneficio pertinebat. Hinc bellum ferè continuum cum Episcopis.

Circumjectum Castro municipium, jam opidi dignitatem habuisse Balduini tempore indubium facit Membrana Trajectina, disertim narrans COVORDIÆ *Villam*, [id est, Opidum stilo seculi] *&* *Suburbium* concremata fuisse, post Ottonem Benthemiensem fugatum cIↃ CXCV. Abest *Groninga* in meridiem M. P. XXX.

XVIII. CRAYENSTENE.

ARx quondam in *Thuredrechti* vicinia, expugnata à Civibus cum nece Toparchæ, conjurationis in Florentium V. Holl. Principem Rei, anno cIↃ CCXCIX. secundum Stokium. Hodie vix fluctibus exstans è regione *Slidrechti*, vadosa in Insula Sinûs Biesbos. Est & alia ejusdem nominis, occiduo in latere *Scaldiæ* Insulæ.

XIX. CRALINGEN.

INventarium Bonorum Trajectinæ Ecclesiæ hoc in loco tribuit S. Martino, mansum unum. Est hujus nominis vicus propè à *Rotterodamo.*

XX. CREMPENE.

NUmeratur inter bona Ecclesiæ Trajectinæ, quæ Hollandus rapuisse, Imperator restituisse narratur in Diplomate Henrici IV. cIↃ LXIV.

Vicus est ad *Merwedam* fl. ubi *Leckiam* recipit. Hodie CRIMPEN; à quo & tractui inter *Leckiam* & *Isslam*, nomen CRIMPERWaert.

XXI.

XXI. CREWERTH.

ITa apud Continuatorem Menconis legendum, non *Frewerth*; Illi enim *Firelingiæ* Villa est, hactenus cum alia *Arncwerth Halwirthensis* Parochiæ; sub finem seculi XIII. verò, constructo Fano Ecclesiæ Parochialis jure donata. Vix dubitandum quin per hasce Villas intelligat CREWERT & *Catmis*, quarum priori additum exiguum Fanum, deinceps utrique commune. Unis Millibus passuum à Veteri Parochia *Holwyrda*.

XXII. CRONENBURG.

MUnitissima quondam Arx ad lævam *Vechtæ* citerioris ripam M. P. IX. infra *Trajectum*. Ex hac Adolfus Clivensis, post gravissimam obsidionem, ad supplicium protraxit Gerardum Velsenum, qui Florentium Principem nefando scelere vinctum, sua manu vulneribus multis confoderat. Narrantibus Stokio & Beka ad annum cIↃ CCXCVI.

XXIII. CRUNINGE.

VIlla Prætoria est australis *Bevelandiæ* M. P. ab ora *Fossæ Ottonianæ* versus orientem. Peculium Nobilissimæ Gentis cognominis, Cujus frequens Annalibus mentio, speciatim Waltheri de CRUNINGE in Diplomate Wilhelmi I. Holl. Com. cIↃ CCXIII.

I. DAEL-

D

I. DAELHEM.

TRansmosanæ dicionis Castrum & Opidum est, cum territorio non exiguo, quod ab antiquo suos seorsum habuit Comites usque ad annum cIↄ ccxxxix, quo Henricus II. *Brabantiæ* Dux illos, ob interceptum sæpius commeatum, bello Coloniensi, possessionibus exuit eosdemque *Brabantiæ* suæ asseruit. Uti ex antiquis Chronicis referunt Nivesius ille Chronici M. Belgici Collector. Et P. Divæus ([a]) in Rebus Brabanticis. Hodie paret *VII-Fœderatis*. Situm est intra III. Lapidem à *Mosæ* ripa dextra M. P. VIII. supra *Trajectum*. ([a]) Lib. XI. Pr.

II. DALEN.

VIcus est *Covordiensis* Præfecturæ intra primum Lapidem ab ipso Castro, *Groningam* petentibus. Ultima ejus memoria est in sceda Werdensi.

III. DAVENTRIA COM:

DAVENTRIA *Sallandiæ* metropolis, diu Trajectinæ Diœceseos, sed nondum Principatûs pars, non nisi paucorum vicorum territorium habuisse videtur, VI. summùm ad dextram *Isalæ* ripam; quod prolatum voluit Cæsar Henricus III. longè in alteram fluvii partem: tantum terræ decerpens ex *Amelandia* [sic *Feluam* vocat ejusve partem maximam, vel Pagum *Felud* majorem, cujus illa ingens portio] quæ addita Vicis Transisalanis justo Comitatui sufficeret: ut verè Augustalis hæc esset largitio Opidi scilicet & Comitatûs. Fines huic describit, ad orientem trans *Isalam*, limbum minimè latum, nec longiorem, quam ab *Ascete* ad *Agastaldaburgum*, id est, vix M. P. XII. Citra vero ad arctum, ab *amne* ad *Stevere*. M. P. XVI. Ad ortum à *Stavera* ad *Lovénas* M. P. XVIII. Ad meridiem denique à *Lovénis* ad *Isalam* seu ad *Ascete*, quæ ultra est, M. P. VII.

Atque hæc modis omnibus ita se habere, cuivis intellectu haut difficile erit, ex ipso augustali Diplomate dato *Spiræ X. K. Septembris Anno Dominicæ incarnationis* cIↄ XLVI. *indictione XIV. Anno autem Domini Henrici III. Ordinationis VIII. Imperii VII.* Publici Juris illud jam dudum fecerunt Wilhelmus Heda in Bernulfo Episcopo. Et Joh. Is. Pontanus in Wichardo III. sed neuter sine mendis. De quibus ad loca singularia hujusce Comitatûs.

IV. DAVENTRIA OPIDUM.

SAllandiæ Superioris, immò totius Trajectinæ Diœceseos trans *Isalam*, Opidum antiquitate & dignitate primum. Antiquissimi illud vocarunt *Daventre* & *Davantre Castrum*. Recentiores DEVENTER. Nomen tractum putem à Diœceseos ulterioris parte Prima seu ENTE, cujus Metropolis est: ita ut ex DE ENTER-*Stad*, interjectâ litterâ *V* propter euphoniam, factum fuerit DEVENTER. Ultima ejus memoria est apud Marcellinum in vita Suitberti, ubi Lebuini Socii sui ad *Aldesalam* defuncti corpus, DAVENTRIAM translatum tradit anno Iↄ CCLXVI. Vel, si hujus suspecta fides apud Alfridum in vita Ludgeri ([a]). Altera in Diplomate ([b]) Zuentibolchi Regis *Lotharingiæ* Iↄ CCCXC. Quo Episcopatus Trajectini *Villa*, id est, Opidum nuncupatur vectigali exigendo dicatum. Sequentis seculi est Charta Werdensis, in qua celebratur DAVENTRIENSIS *moneta*. Igitur jam tum Opidum, in quo Telonium & Officina monetaria, immò & Cathedra Episcopi Radbodi teste Bekâ. Confirmantibus mox Zuentibolchi donationem, post *Danos Frisiâ* exactos, Henrico I. Imp. Iↄ CCCCXXIV. ([c]) & Ottone I. Iↄ CCCCXXXVIII. Henrico denique Tertio ipsius Opidi & Comitatûs proprietatem adjiciente anno cIↄ XLVI. Fuit & hîc Præpositus per Transisalanam Diœcesin, maximæ ab Episcopo authoritatis. Quorum quidam bello egregii, sed infelices celebrantur Stokio & Bekæ ad annum cIↄ LXVI. Plures Episcopalem Cathedram adepti. Sub Balduino Episcopo, Othonis Gelriæ Comitis gravi obsidione pressa, tandem sub Diderico Successore illi se submisit; sed brevi momento, mox eidem Episcopo reddita, qui & in fata ibidem concessit anno cIↄ CCXII. secundum Membranæ Trajectinæ & Bekæ narrationem. Situm habet in dextra *Isalæ* ripa M. P. IV. infra *Zutfaniam*, à *Trajecto* XVII.

(a) Lib. I. cap. 1.
(b) Ap. Hedám in Odilbaldo.
(c) Ap. Hedam in Baldrico.

V. DECEM MANSI.

VIcus cum palustri tractu M. P. V. à *Trajecto* in Septentriones, ad dextram *Vechtæ* ripam. Cujus Jurisdictionem Ecclesia Trajectina debet jurijurando Præpositi sui, contra *Abcoudæ* Dynastas anno cIↄ CCLXXXIX. interposito. Hodie vernaculè **Tien-Hoven** nuncupamus.

VI. DELF.

FIvela amnis lentus & tenuis; olim, citra *Werum*, influens in *Stationem Amisiam* Romanis classibus cognitam, quam Monachi ex vernaculo **Emder-Haven** *Emethensem Portum* dixère, hoc penitus per ingesti limi copiam obstructô & in agros opimos conversô; Cùm impar

depre-

Digitized by Google

deprehenderetur continuandi alveum, in aggeres Novalibus [sic recentem alluvionem vocat Menco] objectos; Juvandus fuit fossione, Cui à Delven / id est, *fodiendo deprimere*, DELF nomen imposuêre, barbarâ latinitate *Fossatum:* Eidemque anno CIↃ CCLXXII. obicem versatilem in ipso novo aggere posuêre, *Sandensem* dictum Menconi, à solâ primariâ *VI-Villarum*, littori boreali dum Portus erat, assidentium: Rusticæ plebi verò ab omnibus promiscuè Villis Dorpster-Zyl.

Agrîs autem post hæc alluvione prolatîs, & aggeribus ad Amisiam fl. promotîs; illi quoque *Fivelæ* alveo, qui hactenus extra *Sandensem* obicem fuit, appellationem DELF communicatam fuisse apparet ex eo; Quòd locus, ubi postea *Fivelingii* tres cataractas latè disjunctas coadunarunt, hodieque vocetur De Dzie DELF-Zylen: manente interim nomine Dorpster-Zyl uni ex tribus. Sed & Vicus in *Amisiæ* fl. ora, cum Munimento circumducto DELFZILA cluet.

VII. DENEMARCA.

Terræ tractus hodie valdè exiguus est, inter *Vechtam* Superiorem & *Amestellam*: quondam haut dubie amplissimus, cum *Normanni* illum iteratò invaserunt anno IↃ CCCLXXXIV. *Duisburgo* occupando *Rhenum* ascendentes; teste Reginone.

Postea illustris familiæ peculium factum est, Cui nomen Gentilitium de DENEMARCA. Jacobus XLIV. Episcopus Traj. ejus Ventis fuit. Superest vocabulum prope *Vinkeveen*, Trajectum inter & *Amstelædamum*.

VIII. DIEPENHEM.

Ex minoribus *Tuentæ* Comitatibus unus, reversus postliminio ad *Trajectinam* Ecclesiam unà cum Castro, emptionis titulo, anno CIↃ CCCXXX. Bekâ (a) Heda, Buchelio narrantibus. Superfunt reliquiæ ad fines *Zutfaniæ*, vix M. P. II. à *Goor*. (a) In Joanne III.

IX. DOCKINGA.

Nativè DOKHEM, id est, Doconis Villa.

Vicus Locusve *Asfragoæ* vel *Asfrachæ* [id est, Oostergoæ] vocatur in Vita Ludgeri, itemque Bonifacii, qui ad illum, cum pluribus Euangelii nunciis, occisus traditur à *Frisiis* circa annum IↃ CCLIV. Unde DOCKINGÆ additum cognomentum; *Ad S. Bonifacium*, teste Sibrando in Viat B. Frederici (b). Matthæus Paris (c) DOCTHAM vocat, ad quam occisus Bonifacius. Membrana Trajectina DOCKINGEN [quâ scriptione & Stokius (d) utitur] inter Fri- (b) Cap. II. (c) Ad annum CI CCXVII. (d) In Proœm.

 siæ

siæ Orientalis Opida numerat anno cIↄ ccxxvii. Werumenses ubique ferè DOKKUM scripsêre, rarissimè DOKKINGE: Abbatia autem Præmonstratensi insignem faciunt. Hodie non adeo lautæ fortunæ ac olim: Quintum tamen locum inter *Frisiæ Cislavicanæ* Urbes hactenus tuetur, M. P. V. à proxima *Lavicæ* ripa, solo undique maximè felici.

X. DODINSLANE.

LANE *Frisiis* Via est, sed singularis, quæ ducit ad Villam privatam, ad *Fanum* vel alium quendam locum singularium, unde plerunque cognomen, *Borglane*, *Kerklane*, *Dodenlane*, &c. Quæ hîc indigitatur non longè abfuit à *Lugduno*, secundum Aleydem Hollandiæ Tutricem in Diplomate ([a]) anni cIↄ ccLx.

([a]) Ap. Buxh.

XI. DORENBURCH.

ARx cum Ecclesia Parochiali in *Bathua* superiore ad *Lingiæ* principium; Cujus Decimarum pars cessit Cœnobio *Vallis Comitis* dono Othonis Gelri cIↄ ccLv.

XII. DORESTADIUM.

CAtolus M. ante susceptum Occidentis Imperium, ab hoc Opido, Pipini Proavi sui victoriâ in Radbodum, nobili; & aliàs celebrioris famæ, non dubitavit declarare situm *Trajecti*, vocando illud Castrum; *Vetus Trajectum subtus* DORESTADO: atque cum eodem componere *Neomagi Palatium* & celeberrimas Galliæ Civitates. Haut obscure indicans, *Rhenum* ibi tunc ponte junctum fuisse; quod Romanos dudum molitos Parte I. vidimus. Ad hunc, terrâ vel aquâ transeuntibus magni proventus vectigal erat pendendum, cujus immunitatem Abbatiæ S. Vincentii vel Domini Germani tribuit. De quibus extant Diplomata Iↄ ccLxxv. ([b]) & Iↄ ccLxxix.

([b]) Ap. Hedam in Albrico. & Riafrido.

Scriptor Codicis Chronologici valde antiqui, cujus particulam ex Bibliotheca Carthusiæ Montis Dei edidit Andreas du Chesnius inter Rerum Normannicarum Scriptores, necnon Otto M. Imp. in Diplomate anni Iↄ ccccxLix. ([c]) DORESTADE Villam, id est, Opidum vocant. Imperator etiam WICH seu WYK vocabulum Frisicum antiquum illi tribuit per excellentiam, ceu Emporiorum totâ Regione, præcipuo. WICH enim Veteribus idem fuit, quod Recentioribus STAT: Quique nobis STAT-BOEK id est, Codex Juris nostræ Civitatis; Illis dicebatur WICH-BILLET, utraque voce, homognomicâ præsentibus, apud Magdeburgenses adhuc perseverante, in famoso illo WEICH-BILT. Præterquam quod Urbibus pæne innumeris, maximè per Angliam, appellatio WICH adhæteat.

([c]) In Baldr.

Normannico dominante furore, inter maxima Emporia numeratur,

tur, quæ vastata & deleta anno IↃ CCCXXXVII. secundum Sigebertum Gemblacensem seu verius Geminiacensem; Cui prædictus Codex Montis Dei astipulatur, contra Annales Fuldenses qui annum IↃ CCCXXXV. & IↃ CCCXXXVI. ediderunt. Certe horum aliquo fuit prima Vastatio *Dorestadi*. Altera anno IↃ CCCXLVII. Tertia anno IↃ CCCLXIV. [Testibus Codice & Annalibus iisdem.] Interim etiam capto & infesso Opido à Rurico & Harialdo Archipiratis. Addit Nivesiensis Canonicus, qui Chronicon Belgicum Magnum ex medii ævi monumentis ad sua tempora seu annum CIↃ CCCCLXXIV. perduxit non illaudabili diligentia, sub primam Vastationem hac in Urbe LV. Fana, [Ecclesias Parochiales vocat] extitisse.

Dein ab Episcopis Trajectinis, Arx nova veteri nomine DORESTADI resuscitata, cujus superstant reliquiæ. Additum quinetiam Municipium, iterùm VICI appellatione, sed tenue, inter Minora Trajectinæ Dicionis numeratum tamen.

Rheno hîc injectus Obex, quem perpetuò, eodem in statu, mansurum Fridericus I. Imp. Edicto cavit CIↃ CLXV. (a) Inferior *Rhenus* igitur, hodiè, nisi hinc ortum ducit.

(a) Ap. Hedam in Balduino.

XIII. DRECHTERLAND.

WEstfrisiæ tractus est Hollandis quondam infestissimus. Facile assentior Pontano, Tractum *Enchusanum* fuisse conjectanti; hâc, inter alias, ratione adductus: Quod glebæ genus nobis Derch vel Derry dictum heic ubique inter argillam reperiatur. A Derch autem, per metathesin, factum Drechterland ad *Thuredrechtum* dictum est. Accedit, quod Beka, inter *Hoogwoudam* & DRECHTENSES paludem intermediam faciat. Annalibus frequentissima est Frisionum DRECHTENSIUM mentio, semper immetuentissimorum Virorum significatione.

XIV. VRESUM.

VIcus *Dantumanæ* Præfecturæ in *Oostergoa* M. P. II. à *Doccumo* ad Vulturnum. Sibrandus Mariægardensis hinc ortam narrat Gertrudim devotam virginem, quam reliquis à se auctoratis præfecit Fridericus *Horti Mariæ* Abbas I.

XV. DUBLE.

HEnrico IV. Imper. in Diplomate CIↃ LXIV. describitur locus à *Thuredrechto* proximus. Est autem intra Insulam, quæ hodie *Dordrechtana* vocatur, DUBBEL-DAM nomine.

XVI. DUICTINGEN.

PRætorium tribunal in Pago *Leomerike* seu *Limersche* huc & ultrà quondam extenso; uti apertum est ex Tabulis anni IↃ CCCXXXVIII. quas Heda (a) laudat. Hodie DEUTECHEM opidulum ad *Isalam* Druso intactum, supra fossam M. P. VI.

(a) In Altrico.

XVII. DUISBURCH.

LOtharius II. Imp. anno CIↃ CXXXIV. Duo Talenta annua assignavit Altinensi Cœnobio, ex censu, quem DUISBORCH habebat. *Altinarum* vicinia penè persuadet DOESBURGUM ad *Fossam Drusianam*; non DUISBERGAM ad Rhenum Superiorem intelligi. Est autem illud, *Zutfaniæ* Opidum ad *Fossæ* & *Isalæ* Confluentes. Drusum habuisse conditorem & nominis auctorem, creditum quidem vulgò, sed sine authoritate, sine teste. Leve credulitati præsidium est in vocum *Drusiburgi* & *Doesburgi* similitudine, cùm DOES Germanicæ originis vox sit, etiam locis aliis addita, ad *Lugdunum*, in *Westfrisia* & alibi : quantumque ego capio casus secundus à recto DOEDE viri nomine.

Reginonis verò DUISBURGUM, à Normannis occupatum & insessum anno IↃ CCCLXXXIV. non esse *Zutfaniense* sed *Clivïense* Opidum, vel ex eo evincitur, quòd *Rhenum* adhuc ascendisse dicantur, qui pridem ad *Noviomagum* fines protulerant.

XVIII. DULLARTUS.

FUrens *Oceanus* hoc nominis fecit Sinui, quem sibi pandere cœpit anno CIↃ CCLXXVII. in terris *Reidensium* & *Veteris Præfecturæ*, totiens reciprocatâ rabie, donec abstulerit Fora, Vicos, Cœnobia XXXIII. omnium, quæ tota *Frisia* reperiebantur præstantissima & opulentissima, ripis illinc circumquaque summotis ad M. P. XIII.

XIX. DUNA.

IN Diplomate (b) Wilhelmi I. Holl. Com. anni CIↃ CCXIII. Abbas de DUNIS inter Præsules *Zelandos*, ordine prior ponitur quam *Tolensis* & *Middelburgensis*.

(b) Ap. Buxh. in Leyda.

XX. DUVELHARE.

HEnrico IV. Imp. in Diplomate anni CIↃ LXIV. locus est, supra *Thuredrechtum*, qui hodie in *Sinu Biesbos*.

XXI.

XXI. DUVENEE.

EE. Stokio Insula est, cui etiam hodie agnominatio à Duyven/ id est, Columbis adhærer. DUVELAND jam ipsi Rithmographo alibi dicta. Separatur à *Scaldia* arctiore Euripo. Innotuit maximè navali victoriâ quam Joannes II. Holl. Com. anno cIↄ ccc. hîc ab hostibus reportavit.

E

I. EKESTEE.

ITa Emmius Historiæ nostræ pater ab Veteribus scriptum, sua manu mihi visa annotavit. Incertum, utrum hoc modo significare voluerint Locum ad *Eham* rivum, an verò EKONIS-Villam? Hodie *De* EEKSTE vocamus. Vicus est *Veteris Præfecturæ*, alteri, cui *Sceemda* nomen contiguus; Quocum non contemnendi Opidi speciem exhibet.

II. EKI.

LOcus est super ripam fluminis *Rheni*, ex bonis Hattonis publicatis *Ecclesiæ Trajectinæ* addictus anno Iↄ ccccLIII. Hodie inter *Renum* Opidum & *Dorestadium*, est EK vicus lævo amne.

III. ELETHA.

T*Renta* Vicus Prætorius est Groningâ proximus cum Arce munita Prætoriæ Familiæ, cui *Luesoge* Gentilitium nomen fuisse comperi. Quæ, cum Geliconidarum partium esset, primo Vici incendium anno cIↄ ccXLI. deinde & Castri sui destructionem cIↄ ccXLVI. à Gronenbergiis passa fuit, narrante Mencone. ELETHA illi scribitur, quod nobis EELDA quia *TH* tunc temporis pro *D.* utebantur.

IV. ELISTA.

VIlla Prætoria insignis in Pago *Bathua*, quam Henricus II. Imp. aliquando sibi & Aulæ hospitium delegit, uti ex ejusdem Diplomate anni cIↄ III. constat. Carolus Magni Avus, illam dono dedit Eccle-

Ecclesiæ *Trajectinæ* anno sexto Regis sui Diderici, id est, nno Christi Iↄ ccxxii. (ᵃ) *Marithaime* alio nomine quoque dicta fuit à Castro quondam adjecto. Instituta deinde inter Episcopum Trajectinum & Gelriæ Principem permutatione Locorum, quæ alter in alterius Dicione tenebat, hæc etiam ad *Gelros* transiit anno cIↄ ccxxv. Retinet nomen ELST, medio viæ inter *Noviomagum* & *Arnhemum*.

(a) Ap Hedam in Willebrordo.

V. EMBRICI VILLA.

NOmen clarissimè trahit à Viro honorato *Embrico* vel *Emerico*, Loci Comite, Sculdurio vel saltem Villico. Ex Villis Regiis unam fuisse, asserere non ausim: licet Ludovici Pii Aulam, hîc moras egisse constat anno Iↄ cccxxviii. Opidum insigne in dextra *Rheni* ripa M. P. III. supra Divortium. A *Gelris*, qui illud ab Ecclesia *Trajectina* tenuêre, primò pignori *Clivienfibus* datum, denique mancipio. In Diplomatis Ottonis Magni Iↄ cccclxx. Ottonis III. Iↄ ccccxcvi. Lotharii II. cIↄ cxxxiv. Item in Catalogo Vassorum Traj. vocatur EMBRICA vel EMERICA.

VI. EMESE.

ITa perpetuò vocant priscorum temporum monumenta & Scriptores Indigenæ fluvium, quem *Romani* dixêre AMISIAM. Latinissantes Barbari EMESAM. Heda AMASIM. Emmius AMASUM; sed de hoc satis Parte I.

VII. EMETHA.

HUjus apud Werumenses Abbates frequens est mentio, ceu Villæ in *Fivelingiis*, ita appellatæ ab *Emesa* fluvio, ex quo runc Portus huc pertinuit. Haut secus quam Romanis *Amisia* vocabatur ille ipse locus, ceu adjacens *Amisiæ* fluminis Sinui, in quo naviun Statio; Hodie ab *Eems*, licet remotiore EMEDÆ sive EMDÆ appellationem itidem retinet. Triplicis igitur formæ idem nomen huic Loco subinde datum cognoscitur, AMISIÆ. EMETHÆ. & EMDÆ. Romanæ Classes semper ad hunc ipsum in ancoris stetêre, donec exercitus ab expeditione in *Cauchos Cheruscosve* reduces, in naves, quibus advecti, reciperentur; uti Parte I. ostensum. Situm satis prodit nomen, quod superest Vico valde modico ad *Fivelæ* seu Rivi Dammensis occidentem M. P. IX. ab Urbe *Groninga*. IV. à *Werumo*. V. ab *Appingadamo*.

Inter loca *Germaniæ Transrhenanæ* celebriora hunc ipsum jam numeravit Ptolemæus. Insigne saltem *Forum* fuit, quamdiu Stationis illius veteris, seu Portûs commoditate uti licuit. *Eâque* diu appellatione

tione notior, quam proprio nomine EMETHÆ. Sic Emo suâ ætate *Fivelingiæ* loca copiosissima fuisse, passim subindicat *Loppeshem*, *Emetham* & *Fermeshem*; adeoque Crucis Prædicatorem Oliverum Stationes suas habuisse in *Lopeshem*, *FORO* & *Fermeshem*. Sic & Cœnobita ille Anonymus, qui Menconis Abbatis sui Chronicon in annum cIↄ ccxcvi. perduxit; cùm Werumensibus præerat Abbas V. Folcardus Oudgarii Successor, Narrat; *Fivelingiis* in more positum fuisse, sub cujusque anni auspiciis in FORO (subtacito *Emethæ* nomine) convenire, Consulibus suis in novum Sacramentum adigendis, stato die [Verschijnings-Maandag / vel 's Konings-Maandag] *Skeynosmandey* dicto, id est, feria secunda post Epiphania; hodie vulgò Maandag na Drie Koningen / Quæ etiamnunc *Groningæ* anni novi prima Juridica est. *Fivelingii* quidem suâ auctoritate, contra placita Oecumenici Frisiorum Concilii, *Villam* seu Opidum exinde facere, satis impotenter, uti alia multa, sibi arrogarunt: Jura maxima illi concedentes, quæ non nisi à Majestate proficisci solent; ceu sunt 1. Jus *Stapulæ*, id est, mercium sistendarum privilegium; illum in finem ædificato & consummato prægrandi Horreo anno cIↄ ccxix. quo conderentur. 2. *Signandæ monetæ*, quæ EMETHENSIUM dicta, latè diuque valuit, ne hodie quidem abolitâ memoriâ *aureorum Emdensium* [Emder-gulden] quondam & Marcæ Fivelingicæ vocabulo cognitorum. 3. *Scholæ litterariæ Illustris* & Trivialis, quarum illi præfuit ipse Emo ante Præsulatum, magnâ cum celebritate; hanc verò Menco addidit ceu Seminarium cIↄ ccLxxvi. 4. Denique *Sodalitatum*, quæ Gilden dicuntur, loco superstite Gildecamp testimonium præbente. Sed omnem hunc conatum tandem inverterunt, ex Decreto Oecumenici Concilii *Groningæ* habiti anno cIↄ cccxxxii. *Groningani* & *Hunsingii*: Nec multo post planè everterunt ipsa fata, flumine tantam limi copiam in Portum ingerente, qua totus obstructus, *sensim*, [uti loquitur Menco (a)] *desiccatus fuit*, *atque porrò fimo sterquilinii*, *straminibusque repletus*. Sub idem tempus & conflagravit Templum Parochiale Andreæ sacrum: Atque sic paulatim in tenuem Vicum abiit, WESTEREMDÆ nomine distingui cœptum, ex quo ad *Amisiæ fl.* orientem, circa annum cIↄ ccc. leviter innotuit Arx & Vicus EMDA, Familiæ cognominis peculium: Celebre deinde Emporium, Ecclesiæ, post alterum seculum, ex Babele fugientis hospitio cum primis nobile. Frustrà igitur esse omnes, vel hinc patet, qui *Emethensium* monetam, jam tum à seculo vulgatissimam EMDÆ huic orientali, ex piscatoriis casulis pridem natæ asscripsisse gloriosum putant, ut almæ Urbi (ac si omne novum illaudabile) unius seculi ætatem lucrentur: hoc solo nixi fundamento; quod *Emethensium* monetam anno cIↄ cccxxxiii. apud *Transamisianos* in usu fuisse Emo æqualis testatum reliquerit. Quasi verò Numi, extra Civitatem, in qua signati, nunquam evaluerint; ne quidem ad Socios solo amne divisos.

(a) In Vita Emonis.

VIII. EMISGA. EMISGOE. EMISGONIA.

VOcabulum notat agros ad *Amisiam* fl. Veteribus *Emis* & *Emese*, nobis Emsg dictum. Dividitur autem varie. Primo in Orientalem & Occidentalem. Orientalis rursum in Superiorem & Inferiorem. Inferior denique in Late- & Stricte-dictam. EMISGOE *Inferior latè dicta*, Carolo M. prætexitur *Oceano*, inter *Amisiam* & *Jadam*, quem Eddonis *paludem* vocat, in Litteris (a) quibus Diœceseos Bremensis fines descripsit II. Idus Jul. IↃ CCLXXXVIII. Adamus Bremensis (b) hanc ipsam vocat *Fresiæ* Comitatum, quem post Egbertum Saxonem proscriptum, Henrici IV. beneficio, etiam obtinuit Archiepiscopus, brevi licet usurâ. EMISGONIA *inferior strictè dicta*, hodie vocatur Emsland/ in qua Emoni numerantur *Uttenses* & *Husenses*, Emmio *Uttumani* & *Grothusani* dicti: adeoque omnes, qui Amisiæ inferioris ripam orientalem colunt, a palustri Regione, quam Moermerland vocant, ad sinum *Nordanum*. EMISGONIA *orientalis superior* Emoni est Dicionis *Monasteriensis* exigua portio, in qua Eghathorp nunc Asschendorp vicus, & hodie & olim nundinis celebris; Item Castellulum *Fresenborch*. EMISGONIA OCCIDENTALIS denique quæ sola præsentis instituti, Alfrido (c) EMISGA, eidem ponitur ad lævam *Amisiæ* ripam inter *Fivilga* & *Rediritga*, id est, secundum Werumenses inter *Fivelgoniam* & *Terram Hreidensem*, ubi *Præfectura Vetus*, cujus Parapotamii, adhuc à Dullarto integri, *Menternenses* vocabantur. Legitur quidem vulgò apud Alfridum *Fediritga*; sed vitio, ex dictis, nimis quam manifesto; quod adeoque nemo invitus, nedum iratus, hîc emendatum conspiciet in *Rediritga*, id est, Reyderland/ locorum situ ita jubente.

(a) Ap. Adam. Br. Lib. I. c. X.
(b) Lib. IV. c. V.
(c) In Vita Ludgeri Lib. I. c. 4.

IX. EMNE.

VIcus Prætorius *Trentæ superioris*. M. P. VI. à *Covordia*, quem, cum omni Prætoris districtu, expilarunt & combusserunt *Tuentones* circa annum CIↃ CCXXVIII. Narrante Anonymo Membranæ Trajectinæ Scriptore. Hodie EMMEN.

X. EMUM.

COntinuatori Menconis ad annum CIↃ CCLXXX. sic vocatur Vicus inter *Wirthum* & *Emetham Fivelingiorum*. Putem Librarii vitio *M.* pro *N.* exaratum, atque legendum ENUM. Vicus hodie exiguus, sed agri arvi bonitate vix alteri cedens. Abest ab Urbe M. P. XI. in ortum æstivum.

XI.

XI. ENCHUSEN.

POstquam *Oceanus* lato sinu in Lacum *Flevonem* irrupit, *Westfrisia*, inter utrumque, Promontorii speciem recepit, Cujus extimo in cornu nunc conspicitur Opidum nomine ENCHUSEN: situ ad exteras negotiationes valdè opportuno. Urbs hodie satis ampla & nitida; sed minore quàm olim frequentiâ: Dignitate inter *Northollandicas* tertia; inter *Westfrisicas*, quæ multa seorsum peragunt, ex Veteris Reip. instituto, secunda. Antiquissima, quantum vidi, ejus mentio est apud Gaufredum Vitæ Ludovici S. Scriptorem, ad annum CIↃ CCXLVIII. ceu *Phrisiæ* Opidi, ubi tunc visa in cœlo Crux. Altera apud Stokium ad annum CIↃ CCXCVI. Nomen illi factum à rebus & ædibus principio perangustis. Germanicè intelligens vix dubitare poterit.

XII. ENERENSES. ERNERENSES.

SIc vocat Emo habitatores Vici ENERUM, qui apud *Hunsingios* maximæ existimationis, Corculi instar & ocelli, pro quo sæpius bello decertarunt. Turrim habet latè adeo spectabilem, ut Nautis Phari usum commodet. Abest enim à *Maris Vadosi* proximo littore non nisi M. P. III. ab Urbe *Groningâ* X.

XIII. ENGE.

REtinet hodie nomen. In litteris Henrici Episcopi Traj. anni CIↃ CCLX. vocatur *juris Episcopalis Dominium extra Portam S. Catharinæ versus Occidentem* [æstivum] *quod vendidit Ecclesiæ S. Martini* CCCL. *libris denariorum, pro construendo Castro Vredelant.*

XIV. ENZE.

IN Membrana Trajectina etiam ANZE vocatur. *Tuentæ* Opidulum est, cum territoriolo ad fines utriusque Diœceseos *Trajectinæ* & *Monasteriensis*, unde & nomen habere videtur integrè scriptum ENSCHEDE, quod hodie obtinet. Hoc ex materna hæreditate crevit Folkerus Covordiensis *Goræ* Comitis sorore natus. Et Episcopus Traj. conbussit totum, anno CIↃ CCXXVIII.

XV. ERBEKE.

HEnrico III. Imp. in Diplomate anni CIↃ XLVI. ponitur inter *Lovenam* & *Islam*, ubi hodieque repetitur ad rivulum, eodem planè nomine EERDBEEK. M. P. VI. à *Zutfania* in occasum hibernum.

XVI. ERMELO.

ECclesia vocatur in Diplomate Anfridi Episcopi Traj. anni cIↃ VI. Est autem Vicus *Feluæ*. Nominis servans. M. P. II. ab *Harderovico*.

XVII. ERMKINA.

LOcus est, qui cum pluribus aliis per *Gelriam*, ad utramque *Vahalis superioris* ripam cessit anno IↃ CCCL. Ecclesiæ Trajectinæ ex Donatione Baldrici Viri Nobilis. Huic nullus, quantum hactenus indagare potui, vocis sono propinquus est, nisi composita vox sit, ita ut *Ermke* habeatur tantum ACCESSIO ad INEN, cujus vocabuli, duo vel tres Vici exstant ad *Vahalem* contra *Bomelam*.

XVIII. ESONSTADIUM.

VEtustum nec vile *Oostergoæ* quondam Opidum ad *Lavicæ* Ostium, ubi *Eham* fl. nominis authorem recepit, cum Portu idoneo quantisvis classibus receptandis. Illud periisse, repetitis diluviis annorum cIↃ CCXIX. XX. XXI. XXII. de quibus Emo Werumensis; nullum apud se dubium esse asserit Historiæ nostræ Princeps (a). *Portu Marnamane* tunc longiùs in terras insinuato atque ab omni parte dilatatô.

(a) Rer. Frisic. Lib. I.

XIX. EVEREKESTDORPE.

PErmutationis litteræ anni cIↃ LXXXV. vocant terram paludstrem, usque ad Saltus *Trenscoten* & *Furs* pertingentem. Licet nominis vestigium superstet nullum, satis tamen intelligitur, posituram fuisse, inter proximum *Rhenum* & dictos Saltus. *Swadenburgo* ad orientem oppositam.

XX. EVERINGEN.

BEvelandiæ *Australis* Vicus est in austrino quoque littore, Cujus Toparcham Dodinum laudat Stokius (b) ad annum cIↃ CCXCV.

(b) In Flor. V.

XXI. EVEN.

IGnoratæ positionis locus, illa parte *Trentæ* tamen, quâ Rodolfi Comitatus, circa *Larem Australem*; uti discimus ex Charta Werdensi. Qui dono Henrici III. cessit Bernoldo Traj. Episcopo ex bonis publicatis Ulfonis & Fratrum.

In

In Litteris Wilhelmi Holl. Com. CIↃ CCIV. mentio fit Waltheri de EVE, dubiam faciente lectionem Buchelio.

XXII. EXIENSIS CIVITAS.

OPidum *Frisiæ Orientalis* fuit, cum Portu celebri ad Ostium Borrdiep seu Borndiep / eò ferè loci, ubi *Berlikum* seu *Belkum* vicus equorum mercatu nobilis; Vernaculè UTGONG dictum, quia hinc naves à Statione exibant; Uytgaan enim significat *Exire*, quâ voce utimur, pro *Portu solvere*. Unde illorum seculorum Latinitas EXIENSEM CIVITATEM procudit. Emmius ex Veteri Authore non adeò certæ fidei, refert; id à *Normannis* prædonibus anno CIↃ CXCI. direptum vastatumque; nec ab eo tempore fortunam recuperasse, donec in Vicum, mutato etiam nomine abierit.

F

I. FELDWIRTH.

BEnedicti Cœnobium fuit in *Fivelingiis* pervetustum; Quippe cujus Præsul jam cum Abbatis dignitate fuit seculo XII. Frequens ejus mentio est apud Werumenses. Dominici Coloni hodie occupant Locum, nomine FELWERT & Olden-Clooster. Abest *Groningâ* M. P. XIV. in ortum æstivum.

II. FELUA.

VEtus *Auchorum* Pagus, posteà divisus reperitur, in tres minores; *Huitingoijam*, *Flehitam* & FELUAM. Prior ab *Auchis*, alter à *Flevone*, tertius ab utroque nomenclationem recepisse videtur. FELUA [de cujus significatû & levi mutatione jam dictum Parte I.] tota ambitur *Rheno*, *Fossa Drusiana* & Lacu *Flevone*, ductâ lineâ ad exortum *Nodæ* rivuli seu *Grebbe*. Prætexitur undique agris marginatis uberrimæ glebæ; Interiora ferè arenis torrent, aut uligine sordent. Quondam etiam Silvis magis horruerunt, hodie minus. Rutgarius Comes Villam *Lonam* cum vicis ad id forum pertinentibus anno IↃ CCC XXXVIII. contulit Alfrico seu Alfrido Episcopo Traj. Henricus III. Imper. alia plura Bernoldo CIↃ XLVI. intra fines hujus Pagi. Henricus

ricus IV. iterum alia cIↄ LXXVII. Ex Ordinatione verò Henrici VI. anni cIↄ CXCVI. potiùs cIↄ CXCV. liquet; in universum Pagum obtinuisse Jus Imperii, Lotharingiæ seu Brabantiæ Duces, quod secundariò Gelris permiserint. Unde bella inter hos & Episcopos, hac lege composita; ut Episcopus reciperet Feudum Comitatûs *Feluæ* ab Imperatore. Dux *Brabantiæ* ab Episcopo. Idque à Brabantino, denuò datum Principibus *Gelriæ*, cui etiam hodie innexum, nullo beneficii vinculo.

III. FELVIDA.

SUpra *Arnhemum* recensetur inter dona à *Zutfaniæ* Comite in Cœnobium *Eltense* collata, in Diplomate Lotharii II. Imper. anni cIↄ C. XXXIV. Hodie *Velp* M. P. II. ab *Arnhemo*.

IV. FENE.

PArochia vel saltem Cappella fuisse videtur in *Fivelingiorum* palustribus, qua circum Fossores degebant, qui Cœnobiis vicinis alimenta foeo ministrabant. Hisce verò planè effossis, Locum fuisse desertum ultro sequitur. Adeoque & ipsum Fanulum, quod curæ Diaconi quondam commiserant Abbates. Emo narrat Diaconum de FENE, nomine Folcwardum anno cIↄ CCXXVII. fuisse occisum, atque ob hanc aliorumque Sacerdotum cædes *Fivelingiis* interdictum communione sacrorum. Superest hodie Loco deserto nomen **Gaarden** dudum licet ustilibus glebis vacuato, ad fines boreales *Sappemere*.

V. FERMESHEM.

VIcus est in *Fivelingiis*, opimo Sacerdotio præ multis celebratus ab Antistitibus Werumensibus, in *Amisiæ* ora, cui hodie *Delfzila* ad sinistram pæne contigua.

VI. FERNOE.

CUrtem vocat Otto I. Imper. Iↄ CCCCLXX. donatam cum ipsa *Altinensi*, constructo ibidem nuper Cœnobio, à Wichmanno Zutf. Comite. Apud Ottonem III. legitur FURNON. Iↄccccxcvi. Apud Lotharium II. cIↄ CXXXIV. *Furnum*, quasi adjectivum ad *Warthusen*.

VII. FETHNA.

VIlla est, cum Prætorio quondam *Frisiæ* Regum, cui & *Wiltaburgi* nomen. Transiit in Dominium Willibrordi Frisiorum Episcopi I. Dono Caroli Martelli anno Iↄ CCXXII. Unà cum Castro & Vico

eo proximè inferiori ad *Rheni Trajectum.* Num proba sit scriptio FETHNA? dubitem, cùm hodie FECHTA appelletur, lineis non multùm diversis & Librario proclivibus transpositû. Cætera vide in *Wiltaburgo.*

VIII. FISKMARE.

Fivelingiæ Locus est, ad quem Werumenses & *Walthershemenses* versatilem obicem habuerunt, emittendis vel arcendis aquis, quibus illorum Agri ferè abundant. Hunc vi tempestatum & Oceani perruptum tradit Menco Abbas CIↃ CCLXII. Qui, uti hodie nullius usûs, ita nec nominis, dudum *Delfzilæ* constructis aliis. Emmius hæc eadem ex Mencone referens adjicit in *Præfectura Veteri* hasce fuisse Cataractas, conjecturâ vix conciliabili cum Menconis narratione.

IX. FIVELA.

Amniculus est, qui circa *Trentowaldiorum* paludes ortus, nec longius M. P. VII. per *Duurswaldios*, in Corum prolapsus, versò in aquilonem cursu M. P. X. *Amisiæ* miscetur ad *Delfzilam*: uti quidem hodie rerum facies est. Seculis enim Mencone anterioribus exiit in Veterem Portum Amisiam eo loci, ubi Fanum Werumense excitatum. Hunc FIVELAM dixit Menco, illiusque Accolas FIVELGONES, Agros verò *Fivelgoam.* Utrisque etiam hodie manente nomine, quod ipsi amniculo dudum decessit, superiore alveo per multifarias derivationes, planè exsiccato & vix pervestigabili, maximè post novam fossam M. P. VII. ad flexum ab Urbe perductam, cui cum inferiore alveo FIVELÆ, *Rivi Dammensis* nova appellatio tributa, ab *Appingædamo* Foro, quod transit. Patefactâ in hunc modum mediterraneâ navigatione, inter *Unsingim* & *Amisiam*; maximo totius Regionis bono.

X. FIVELGOA. FIVELINGIA.

In Diplomatis Ottonis M. Ottonis III. & Lotharii II. Impp. annor. IↃ CCCCLXX. IↃ CCCCXCVI. & CIↃ CXXXIV. FUALGO Frisionum Comitatus vocatur illa regione, quâ etiam sunt *Hunesgô*, *Mernu* & *Midage*; certissima demonstratione FIVELGOAM intelligi, atque ([a]) FIVALGO legi debere. Alfricus in Vita Ludgeri scripsit *Fivilga.* (a) Cap. IV. Lib. I.

Adamus Bremensis seculi XI. Scriptor tradit ([b]); Archiepiscopum Hammaburgensem, donô Imperatoris Henrici IV. adeptum esse *maximum Comitatum Fresiæ de* FIVELGOE, *quem priùs habuit Dux Gothafridus & tunc Ecbertus*, ille scilicet Saxoniæ & Thuringiæ Marchio, *Frisiæ* flagellum, cujus proscripti bona publicata sunt CIↃ LXXXVI. testante ejusdem Imper. Diplomate ([c]). Addit Author *Archiepiscopum* (b) Hist. Eccl. Lib. IV. c. 5. (c) Ap. Hedam in Conrado.

pum possedisse quoque dictum Comitatum per X. annos, usque ad expulsionis suæ diem. Cui, ceu rei gestæ Æquali, tacentibus licet aliis, uti fidem derogare nolim; ita inquirendum putem quid caussæ fuerit, quòd FIVELGOAM *Comitatum Fresiæ maximum* vocarit; Cùm *Oostergoa* & *Westergoa*, ex ejusdem Ecberti rapinis *Trajectensi* tributa, duplo majoris territorii sint. Opinarer equidem Adamo per FIVELGOÆ Comitatum, omnem *Frisiam* inter *Amisiam* & *Lavicam* intelligi: Cum & Comitatus Emisgoæ, eâdem donatione comprehensæ fines itidem proferre videatur (a) ab *Amisia* in *Lacus*, ex quibus factus *Jadæ* sinus, qui *Transjadanam*, ipsi *Ostergô* dictam ab *Emisgoa* disterminat. Divisit igitur Imperator usurpatam Ecberto *Frisiam* inter duos Episcopos: Alteri partem quæ inter *Islam* & *Lavicam*: Alteri, quæ inter *Lavicam* & *Jadam*, tribuendo; & quidem Trajectino Comitatus *Oostergoæ*, *Westergoæ* & *Islagoæ seu Stauriæ*. Bremensi FIVELGOÆ & *Emisgoæ*.

(a) Lib. I. cap. X.

Est autem propriè FIVELGOA pars secunda Agri, qui *Groningæ* perichorus omnium primò ex plurimis Villis unum in Pagum coalitus. Terminatur à meridie *Trentowalda*, ab ortu *Veteri Præfectura*, pari ferè spatio M. P. IX. Ab occidente *Hunesgoa* seu *Hunsingia* per M. P. XIV. Ab arcto, *Amisia* fl. M. P. XI. ut adeò quadratæ pæne formæ appareat.

Origo nominis est à *Fivela* amne, quondam Regionem perluente. Fuêre verò *Fivelgones* secundùm Werumenses, vel *Fevelgones* secundum Membranam Trajectinam, qui nobis *Fivelingii*, præ omnibus Sociis, maximè rebus novis læti, summique Zelotæ, Universitati suæ, ut loquitur Emo, seorsùm supremam potestatem asserendi; minus comiter Imperii reverentes, ea subinde sibi arrogando, quæ ab Imperatore, vel saltem à communi Sociorum Concilio impetranda reliqui agnoscebant; Quorum specimina jam vidimus *suprà ad Emetham*. Coiêre tandem, post longam discordiam, cum *Groninga*, æternô fœdere, anno CIƆ CCLVIII. (b)

(b) Ap. Emmium Hist. Lib. XI.

XI. FINSTERWALDA.

TEnues reliquiæ vici quondam egregii, *Dullarto* pæne hausti, opaco cum Luco, uti nomen indicat; Duobus olim Vicis, à plaga distinctis, commune. Hic *Occidentalis* ad *Præfecturam Veterem* spectat. M. P. XX. à *Groninga* in ortum.

XII. FLARDINGA.

HErmannus Comes Veringensis, vulgò Contractus, PHLADIRTINGAM vocat *Fresiæ Pagum*, quem Henricus III. Imper. anno CIƆ XLVI. Theodorico IV. Marchioni, à tempore Henrici II. usurpatum eripuit. Lambertus Schafnaburgensis FLEERDINGEN

GEN munitissimam *Frisiæ* urbem ab eodem Imper. expugnatam anno cIↃ XLVIII. Quia verò H. Contractus præfatum Theodoricum ornet titulo *Marchionis de PHLADIRTINGA*, suspicio est Theodorici Dicionum Primariam fuisse & hactenus Principum sedem. Uti & V-Matrum Ecclesiarum Prima vocatur in Epternacotrajectinâ Transactione anni cIↃ LXIII. Appellationem Ecclesiæ, cui subsunt plures Cappellæ, tantùm addidit Henricus IV. Imper. in Diplomate anni cIↃ LXIV. quo Wilhelmo Episcopo Trajectino ejus donum, vel, ut loquitur, redditionem fecit: Brevi tamen usurâ, Marchione Theodorico V. mox ablata omnia recuperante, atque Episcopo nihil reliquum intra Diciones suas faciente. Ecclesiæ Oeconomiam cum Decimis jam dudum tribuerat Arnulfus Theodorici Proavus *Hecmundanæ* Abbatiæ, ipso Pronepote Teste in Diplomate anni cIↃ LXXXIII. ubi FLARDINGE scriptum. In recentiore (ᵃ) Wilhelmi I. Holl. Com. anni cIↃ CCXXII. reperitur FLERDLINC. Situm habet ad *Mosam* seu *Vahalim*, ubi *Liora* rivulus emittitur, vulgari nomine **Vlaardingen**/ Fori non contemnendi conditione, absque munitionibus.

(a) Ap. Buxhorn. in Amstelodamo.

XIII. FLEHITE.

EX Veteri *Auchorum Pago*, tres minores esse factos, ad *Feluam* vidimus. Qui situ medius FLEHITE, disertim *Pagus* ad utramque *Hemi* ripam à Carolo M. vocatur, in Diplomate (ᵇ) anni IↃ CCLXXVI. Occiduum latus claudit *Rhenus*, à *Noda* rivo ad *Dorestadium*. Ortivum, pari extensione, *Flevo* Lacus, à quo & nomen traxisse satis intelligitur.

(b) Ap. Hedam in Albrico.

XIV. FLEHUS. FLI.

ALveus *Rheni* Orientalis, qui à Lacu *Flevone* ad Ostium *Flevum* ducit, ita appellatur in Fresionum Legibus, loco FLEVI; litterâ *V.* cum Ptolemæo extrita. Posterioribus denuò FLEVUS dictus.

Servasse videtur, inde à Romanis temporibus, eundem cursum, eandemque arctitudinem, ad seculum XIII. novum. Quo maximæ illæ & creberrimæ eluviones, Ostio immensum dilatatô, *Vadosum Mare* longissimè in terras propulerunt, atque FLEVI aquis viam novam aperuerunt, rectâ quasi lineâ in *Oceanum* properandi; Unde recurvæ priori, appellatio *Veteris* ['t **Oude Vlie**] hodieque remanet. Invictô argumento; Insulam recenti hoc FLEVI ambitu demum factam, hodie **Vlieland**/ nihil omninò ad Melæ *Flevonem* pertinere; uti Viri Docti complures, temerè nimis (sit venia dicto) hactenus opinati sunt.

De eluvionibus hisce nemo certiora ad Posteros reliquit, quàm

Antistites nostri Werumenses ceu testes oculati Emo & Menco, quorum Membranas apud me esse dixi vivente altero descriptas.

XV. FOGELSANG.

(a) In Joan. II.

ECcellentis structuræ præclarum Palatium vocat Beka (a), *Hagæ Comitis* æquiparabile, Florentii V. opus. Superest nomen ad Colles arenarios M. P. IV. ab *Haralemo* in occidentem.

XVI. FORESTENSIS PAGUS.

FRisiæ, quæ inter æstuaria *Flevi* & *Lavicæ* est, partem tertiam constituit; duabus aliis, nom tam amplitudine, quàm potentia imparem, ob tenue solum. Terminatur à Septentrionibus *Oostergoa* & *Fredowalda Transflavicanorum*. Ab ortu *Trenta*; A meridie *Transisalana* & Lacu, jam Sinu, *Flevone*. Ab occasu *Westergoa*. Continet Præfecturas X. urbeculam unicam *Slotam*. Uti verò nullis Imperatorum donationibus nominatim comprehensus reperitur, ita nec tentatus à quopiam *Frisiæ* Donatariorum; ante Guidonem Hannonium Trajectensem Episcopum, sibi quoque arrogantem Territorii jus in hasce Frisiæ Silvas, quasi idem esset cum Forestensi, quod in *Fularchoa* & *Trentæ* continuos Saltus Pastori Ecclesiæ Trajectinæ etiam indulserunt Otto M. IↃ CCCCXLIII. & Henricus II. CIↃ VI. (b) Sed hæc attentata quarti decimi seculi sunt.

(b) Ap. Hedam.

In antiquis Tabulis *VII-Saltus* sæpiùs vocari, hanc Frisiæ portionem Christ. Scotanus testatur. Recentiorum plerique *Silvestrem* dixêre. Hodie vernacule De Seven Wolden.

XVII. FORSCHATE.

HOdie Doorschoten. M. P. VI. ab *Haga Comitis* Rhenum versus. Mentio ejus est in inventario Bonorum Traj. Item in Diplomate (c) Florentii V. Holl. Com. CIↃ CCLXXXI. Et apud Stokium frequenter. Præfectura quondam Gentis cognominis.

(c) Ap. Buxhorn.

XVIII. FORTRAPA.

(d) Ap. Douzam Ann. Holl. Lib. V.

COgnoscere licet ex Diplomate (d) Caroli Simplicis Fr. Reg. anni IↃ CCCCXIII. Jus *Hecmundanæ* Ecclesiæ non tantùm à *Kinnemo* ad *Rhenum*; sed paullò ultra valuisse; idque *Westflingæ* Comitatûs nomine; Uti porrò claret ex Diplomate Henrici IV. CIↃ LXIV. K. Majis dato. Hujus autem Comitatus fines, à *Rheno* protensos fuisse ad FORTRAPAM & *Suithardesgæ* Limitis Locum è regione proximum, quem Suther-Meer esse putarem, quia illi idem nomen facit Carolus Rex, quod Arnulfus Imper. in Diplomate (e) anni IↃ CCCLXXXIX. uni-

(e) Ap. Douzam. Lib VII.

universo tribuit Limiti à *Rheno* ad *Mosam* ducenti. Cùm verò hic, suprà, totidem ferè M. P. à *Rheno* recedat, quot, infrà, **Foorburg**/ percelebris locus, ante Castrum à *Normannis* destructum: Mihi semper visum fuit, hunc ipsum designari in C. Simplicis Diplomate, atque FORTRANA non FORTRAPA ibi fuisse scriptum. Nam vix alius proclivior Librariorum error est, quam pro Lombardico n. exarare Latinum p. & vicissim; quia figuræ Lombardicæ vix differunt, nisi quòd hujus angustior, illius laxior. Esse autem **Foorburg** FORUM ADRIANI, Parte I. non semel dictum est. Et jam denique asseritur FORTRANÆ, licet corrupto, vocabulô, nil nisi FORUM ADRIANI resonante.

XIX. FOSSA OTTONIANA.

SCaldim in *Mosam* influxisse Cæsar Author est; Et Ptolemæus, sub hujus nomine exiisse in *Oceanum*, ubi adhue *Vetus Portus* ad *Slusam Flandriæ*. Eundem autem ad locum, *Scaldis* Ostium fuisse, ætate Caroli M. antiquæ Fresionum Leges fidem faciunt. Quòd verò hodie alia rerum facies sit, effectum memorant Annales Flandr. operâ OTTONIS M. qui anno Ær. Christ. Iↄ ccccxlix. immensi operis FOSSAM, à *Scaldi* duxit ad *Oceanum*, inter *Catsandriam* & *Walachriam*, quacum Vetus alveus, inter humilia camporum diffusioris & brevioris aquæ, sensim limo repletus atque in agros conversus, quos *Flandri*, ceu intra *Scaldim*, deinceps per FOSSAM profluentem, sitos, suos fecerunt: Licet, quicquid fundi ad Orientem est, semper portio fuerit *Taxandrorum*, aut extimæ *Frisiorum Zelandiæ*, quam vernacule *Wasdam* dixêre. Zelandi hanc FOSSAM, dudùm ingens Æstuarium, *Scaldim Occiduum* vocant, & vulgariter **De Hont**/ à stridore, quem edunt fluctus, ad instar ringentis canis. Sed magis est, quòd vox OTTONIANA [Zelandis HOTTONIANA] corrupta & contracta putetur in HONT.

XX. FOSSATUM VETUS.

FOssa fuit, quam *Hunsigii* limitem suum, contra *Fivelingios*, dicebant; Hi negabant; Unde antiquissima discordia. Illi verò prælio superiores anno cIↄ ccxxxii. limô repletam iterùm effoderunt, atque ad mare usque duxerunt: ut perpetuus haberetur limes; narrante Emone. Hodiè nusquam apparet.

XXI. FRANEKERA.

WEstergoa Opidum est, sub Florentio IV. Holl. Com. anno cIↄ ccxxx. jam cognitum, à Populo *Cisslavicano* illic in

suam fidem recepto; uti Emmius testatur. (a) Majoris antiquitatis testimonia non æque legitima puto. Nomen illi accitum ab agris sacro usui sepositis, quibus insidet, De Fron-ackeren dictis. Fron-diensten enim Germanis sunt servitia Domino præstanda: Et Fron-Leichnam / Corpus Domini: Fron-ackeren igitur Agri CHRISTO Domino sacri. Quales etiam in Hollandiâ extitisse constat; uti mox dicetur.

(a) Rer. Frisic. Lib. IX.

Urbs hodie modica, cum Arce ruinosa, ordine dignitatis inter Cislavicanas tertia, jam in alterum seculum Musarum sedes. Abest à Metropoli *Leovardiâ* M. P. VII. in occasum.

XXII. FREDAWALDA.

ITa Membrana Trajectina. Werumenses Antistites scripserunt FRODAWALDA & FRODASILVA. Regiuncula est Fanorum IX. in solo arenoso, teste Emone, adde *vel palustri*. Portio est Partis tertiæ vel Occiduæ Agri Groningam perichori. Terminos habens; Ab ortu *Rivum*, quem suprà *Pedezanum*, infrà *Adewertanum* hodie vocant; Ab occasu Alveum *Lavicæ* superiorem; Ab arcto, *Laugowaldiorum* confinia; A meridie, uligines, quibus *Trenta* hâc parte finitur; Veen patriâ linguâ vocamus id genus soli natatile, à longo tempore derivationis expers: in cujus superficie tandem crescunt herbæ, frutices, virgulta, quæ subinde subsident & putrescunt, semper renascentibus novis, unde incrementum latens & perpetuum, putri ligno non absimile, aquam residem imbibens instar spongiæ. Ex quo, ubi aqua, ductis rivis, eliquavit, lingone formantur lateres, qui, sole ventisque indurati & arefacti, lignorum torribus in foco haut cedunt, appellanturque à *Bructeris* & *Morinis* Torven quasi Dor-Veen / id est, Uligo in lateres formata & arefacta; quæ certe illorum materies est. Hujus tamen soli quædam distinctio apud nos obtinuit; Ut illud, quòd in firmiore superficie jam cremium alit, Darck appellemus: Dilutius verò Moer / Morras. Atque hinc præcipuus *Vredewoldiorum* [sic hodie audiunt] proventus.

XXIII. FRESIA. FRESIONES.

QUi, valente his partibus Rom. Imperio, FRISII dicti fuêre, deinceps FRESIONES, *Phresones*, *Phresii*, *Frigiones*, *Fresonici*, *Fresienses*, *Fresicenses*, *Fresingenses*, & quicquid absonum magis, appellari cœperunt Latino-barbarè scribentibus. Et Regio illorum FRESIA, insuetâ antiquis loquendi formâ. Mutatæ scriptionis rationem esse reor ipsam dialectum Frisiorum, quâ etiam hodie, qui inter *Flevum* & *Lavicam* colunt, E. longum seu geminatum, tanquam I. efferre solent: Quod & Anglos ab his usu recepisse ac hacte-

hactenus retinuisse cognoscimus; ita ut eadem pronunciatio perduret, diverso scribendi modo.

Cæterùm, postquam emissi è *Francia Transrhenana* Coloni, quibus & *Batavorum Taxandrorumque* pars, haut diu post, æquo fœdere juncta, multis indiciis arguitur, suam sibi seorsùm Rempl. constituerunt; Evaluit FRESIONUM nomen per omnes Nationes, quæ *Oceano* prætexuntur, inter *Scaldim* & *Albim*. Ita ut antiqua Patria, aliquandiu *Francia* dicta, FRESIA deinceps nuncupata fuerit, Repl. communicata cum *Saxonibus*, quorum pars maxima quondam *Cauchi*. Idque jam ante emancipatos ab Imperio Colonos, quibus solis *Francorum* nomen remansit. *Francos* autem primos, omnes fuisse *Transrhenanos*, ex *Romanis* monumentis Parte I. jam ostensum est, in primis ex Itinerario Picto, & Vopisco; ubi narrat: Probum Imperatorem expulisse *Francos* suis sedibus, ultra *Rhenum* & *Albim*; posteà auctos *Batavorum* & *Taxandrorum* accessione, spontaneâ scilicet, quia *Francis* Indigenis accensiti, non Populis, quos sibi subjugarunt emissi Coloni. Cujus rei haut obscurum testimonium reliquit Sidonius Arvernorum Episcopus, reponens ad occidentem *Francorum* extima inter *Tungrum* seu *Scaldim*, & *Vabalim*. Ad orientem, inter *Visurgim* & *Albim*; Penitissima inter *Vabalim* & *Visurgim*. Carm. XXIII. ad Consentium:

> *Tu TUNGRUM, VACHALIM, VISURGIM, ALBIM,*
> *Penitissimas & FRANCORUM paludes*
> *Intrares, venerantibus SIGAMBRIS,*
> *Solis moribus inter arma tutus.*

Iisdem finibus, jam facta Saxonum admigratione, etiam tunc, domi successerat FRESIONUM & *Saxonum* promiscua appellatio. Uti sic satis apertum est ex utriusque Nationis trajectu in Britanniam Engisto & Horsa Ducibus; Quem factum conjicit Ill: Camdenus, Tauro & Felice COSS. anno Ær. Christi CCCCXXVIII. Licet Beda (a) in Principatum Marciani rejiciat. Limites ipsos præclarissimè designavit Amelius Stokius in Hollandiæ Chronico Rithmico ad sua tempora, paullo infra finem seculi tertii decimi, perducto; Hisce rithmis. (a)

(a) Hist. Eccl. Lib. I. c. 5.

(a) In Proemio.

> Ouden boeken hoer ic gewagen/
> Dat al 't Lant beneden Nymagen/
> Wilen *Neder-Zassen* hiet/
> Also als de stroem verschiet
> Vander *Masen* ende van den *Rine*,
> De *Schelt* was dat West/ en de *Sine*
> Alzo als si *valt* in de Zee/

Oest

Oeft streckende / min no mee
Dan toter *Lavece*, of ter *Elve*.

(b) In Dider. II.

Et iterùm : ([b])

Al dat gemeene Diet
Datter woent tusschen der *Elve* ende der *Seyne*
Toter *Noert-Zee* algemeene.

In quæ usque tempora, hisce terminis se continuerint FRESIONES, haut ita promptum definitu est. Certùm interim, *Frisiorum* nomen ultra *Scaldim* in *Morinos* aliquando fuisse prolatum; Testibus Audoëno seculi VII. Scriptore, qui *Frisios* contra *Andoverpum* ponit; Et antiquâ fœdâ ([c]), quâ *Ostenda Frisiæ* Opidum vocatur. Præterquam, quod *Saxonici* littoris nomine, etiam illud comprehensum constet, quod *Morinis* prætexitur. Sed hæc Regum fuit ambitio ipsis interneciva & inter caussas Imperii *Frisiorum* à *Francis* imminuti hoc latere occiduo : Quas in oras pars tertia devictorum Saxonum interiorum à Carolo M. postea deducta creditur, secundùm ea, quæ refert Adelinus. ([d])

(c) Ap. Mejerum.

(d) Ann. Franc. Ad annum 804.

Versus Orientem prolatos quoque fines ultra *Albim* æquè manifestum est : non armis tamen, verum submissis è *Frisia* cultoribus in vacuas sedes *Anglo-Saxonum* quondam sociorum in expeditione Britannica : Scilicet qui eò tandem omnes commigrasse videntur. Ad *Egidoram* sanè in hunc usque diem perennat *Frisiorum Littoralium* nomen. Strant-Friesen.

Carolus M. qui, sublatis Regibus qualicunque obsequio contentus, FRISIIS à Patre durius habitis, ex Publico Decreto, quod extat, & ab Aimoïno haut obscurè laudatur, restituit Libertatem. Idem ille & Territorium descripsit, in quo antiquissimæ consuetudines Gentis, in unum corpus, cum quadam emendatione, digestæ, pro legibus valerent. Illudque determinavit, versus Occidentem, *Sincfalâ*, seu *Scalde* fl. per *Sine* in *Oceanum* prolabente uti suprà Stokius

Schelt en de *Sine*, als si *valt* in de Zee / dat *West*.

Versus orientem verò *Vuisuram* seu *Visurgim*. Ita ut distinctionem revocasse videatur inter FRESIOS & Saxones, *Chaucide* utrisque divisâ.

Atque tunc summa FRISIÆ divisio fuit, in *Occidentalem*, quæ CISFLI, id est, Cisflevana in antiquis FRESIONUM Legibus, *Citerior* Venerabili Bedæ vocatur : Et *Orientalem* seu *Ulteriorem*.

Occidentales autem FRESIONES dicti in antiquis illis Legibus, qui *inter Flehi & Sincfalam*, id est, inter duo Ostia, quæ Plinio *Flevi* & *Scaldis*, nobis 't *Vlie* ende *Suin* : *Orientales* ergò reliqui omnes à *Flevo* in *Visurgim*; Divisi iterùm *Laubacho* seu *Laubaco* fluvio,

vio, haut dubiè De Laubarh seu Laubeke / vel contractius, secundum Stokium & alios De Labeke / [id est, tepens rivulus] illâ ætate dicto, quem exonerari diximus Parte I. in *portum Marnamanem*; unà cum *Unsingi*. Alfridus ([a]) tamen *Amisium* fl. utriusque *Fresiæ* distinctorem fecit.

([a]) In Vita Ludgeri.

Cæterum, majoribus Judiciis per omnem *Frisiam*, institutis, ad quæ à Minoribus esset provocatio, sensim gliscere cœpit Potestas libertati gravis. Initio quidem Cæsares e suo Comitatu ab Aula mittebant Judices extra ordinem, urgente Provocationum multitudine, qui supremo præessent Judicio, Hove-Ding / etiam hodie apud *Silowerdios Groningæ* suburbanos, appellato; distinctim à Spring-Ding seu Populi primitivo Judicio. Significanter admodùm, quia disceptandum coram *Aulico*, vernaculè Hovetman [quod nunc quoque inter *Amisiam* & *Lavicam* supremorum Judicum vocabulum est] alibi Graaf dictô, fortè ab eruendis caussarum meritis; Latinè *Comite* quia ex Cæsaris comitatu. Atque hinc territorium cuivis descriptum, germanicè Graafschap / latino-barbare *Comitatum* dixêre. Sed non longè post, ejusmodi Comitibus per *Frisiam Citeriorem* perpetua tribui cœpit potestas in hæredes transmittenda, cum amplissimis facultatibus, Jure beneficiario, fruendis. Qui, pluribus subinde cumulatis, Jus Principis sibi sumserunt, Libertati & Frisico nomini deinceps infesti. In hunc autem modum decessit FRISIIS illa *Citerioris* pars, quæ inter *Scaldim* & *Kinnemum* rivum *Alcmariæ* vicinum. Reliquis avitam libertatem, quantumvis sæpiùs attritam à *Normannis*, ab Episcopis, à Principibus Lotharingiæ, Saxoniæ interioris, Hollandiæ, aliisque, multo suorum & Hostium sanguine egregiè redimentibus; dum valuit mascula illa virtus Imperii Germanici, cum Suevico potentatu. Plerisque etiam longè ultra. Atque hinc nata nova divisio; in *Hæreditariam* & *Liberam*, Quarum illa in tres partes, à Fratribus Ludovico Germ., & Carolo Calvo subdivisa, teste Aimoïnô ([b]), tertium post seculum *Frisiæ* nomen cum *Hollandiæ* & *Zelandiæ* commutavit: Hæc verò antiquum sola retinuit; Distincta deinceps in VII. Regiones, totidem portubus interjectas, quas vulgò De VII-Zelanden seu Terras littorales dixêre; sed Emo Werumensis, *VII-Villas* mari conterminas. Item *Frisiæ Maritimas*. Saxonum divulsione, ad Caroli M. institutum, non subsecutâ.

([b]) Hist. Franc. Lib. V. c. 25.

I. *Zelandia* à Rivo *Kinnemo*, seu Ostio *Pethemensi*, ad *Flevum*, *Rheni* Orientalis Ostium, quæ à situ, & quia veteris Occidentalis pars, hodieque totius nomen retinet WESTFRISIA.

II. Inter *Flevum* & *Lavicam* seu *Marnamanem Portum*, quæ *Hollandis* quondam *Orientalis*, hodie FRISIA per excellentiam vocatur, tribus distincta Pagis seu Comitatibus.

III. Inter *Lavicam* & *Amisiam*, quæ vulgò *Groningana* ab Urbe sola. Menconi è diverso, *Circaria* ab Agris Urbi circumjectis, vernaculè Omlanden van Groningen. Adamo Bremensi, à Parte famosissima

ſiſſima *Comitatus maximus de Fivelgoe*. *Ciſlavicanis*, *Friſia Minor*, in precibus Friderico III. Imper. oblatis pro Conſulari Groninganorum Imperio ultra *Lavicam* proferendo, cujus extat autographum: Et poſt hos ipſis quoque *Groning-Omlandis*. Atque hæ tres Priores hodie in VII-Fœderatis numerantur. Reliquæ Imperium Germanicum agnoſcunt.

IV. Inter *Amiſiam* & *Jadæ Portum*, quæ *Amiſiana* ſeu *Emiſgoe* Adamo Bremenſi à potiori parte. Hodie vulgò *Orientalis* ſeu Oost-frieſland. In ſolis verò IV. Prioribus Friſicum nomen perennat cum veteri Libertate; niſi quòd *Occidentales Hollandiæ* acceſſerint; Et *Orientales* qui ultra *Amiſiam* ſunt, Principem juxta libertatem receperint: Poſt Suevorum tempora tamen, ocyùs, ſeriùs.

V. Inter *Jadam* & *Viſurgim*, quæ *Transjadana*. Cujus poſt hæc concidit Libertas, ut & aliarum, quæ ſequuntur.

VI. Inter *Viſurgim* & *Albim*.

VII. Inter *Albim* & *Egidoram* vulgò De Eyder & paullo ultra; ubi etiamnum viget Littoralium FRESIONUM nomen.

Quæ linguâ *Friſiorum* plebeja circumfertur partitio, ſeculis, quibus operam impendimus, longè recentior eſt, adeoque non hujus loci.

Quod ad ſacra, orta eſt & alia diſtinctio teſtibus Emone & Beka ([a]), in *Trajectenſem* & *Monaſterienſem*. Qui enim inter *Lavicam* & *Jadam* circum Maris Littus & Amiſiæ ripas, FRESIONES, Diœceſeos *Monaſterienſis*; qui his ad occaſum & auſtrum, *Trajectenſis* vocabantur. Qui ad ortum, *Bremenſis* quidem erant, ſed non ultra in Friſiis numerati.

(a) In Wilibrando.

XXIV. FRONEKERA.

Ecclesia eſt ad Orientem *Rheni* cum appendicibus Cappellis tribus, ſecundùm permutationis litteras anni CIƆ LXXXXV. Germanicarum vocum compoſitionem eſſe apparet, ex *Frôn* & *Acker*, id eſt, Dei ſeu Domini Ager. Ex Cappellis ſola Septentrionalis ſupereſt; Cappel ten Noorden M. P. III. in ortum à Mydrecht.

XXV. FRUGERSA.

Locus eſt ad Occidentem *Rheni*, *Suetæ* vicinus, Theodorico V. in Diplomate CIƆ LXXXIII. dictus FRUGERSA, Stokio *Vrytgers*, utrique COMITIS cognomento. In quo Theodoricus III. Com. donavit Eccleſiæ Hecmundanæ Fundum XVI unciarum proventu; uti in Rithmo

- - - - onsen S. Albrecht /
In sin *Vrytgers*, hi berecht
Sestien oncen penningen. &c.

Ex

Ex genere appellativorum, ceu sunt Land / Hage / Moer / Hoek Werthen / hoc vocabulum esse, Utriusque loquendi forma satis indicat; quid verò seorsùm significet, ex voce *Vrytgers*, libertatem vel immunitatem spirante, non adeo difficulter subodoratur; Nempe Graafsijkheyts-Vrydom; Vryen-Ban / &c. Quibus tandem Fundis id proprium fuerit in vicinia *Suetæ*, haut dubiè rescire poterunt, qui Rerum Dominicarum rationibus per *Hollandiam* præsunt Viri Gravissimi.

XXVI. FUGENHOUTE.

IN Diplomate Anfridi Episcopi Traj. anni CIↃ VI. FUGENHOUTE vocatur Silva in *Tuentonibus*. Dudùm fortè cum nomine excisa.

XXVII. FULNAHO.

SIlvam vocat Otto M. in Diplomate anni IↃ CCCCXLIII. in quam Forestense jus concedit Baldrico Trajectensi Præsuli, æquè ac in Silvas *Forestensis Pagi*. Latiore significatu complectitur Veterum *Frisiorum* portiunculam, quæ est inter occiduos *Trentæ* fines & Lacum *Flevonem*, à *Vechta* ad *Lindam* fl. Cujus donationem Bernoldo Trajectensis Ecclesiæ Pastori factam anno CIↃ XLII. (*) ab Henrico III. Imp. Comitatûs *Umbalaha* nomine, ex FULNAHOÆ corrupto, satis soletter conjicit Doctissimus Buchelius. Sed & *Agridiocensis* appellatione in iisdem Tabulis venit; tractâ fortè ab Agris per alluvionem adjectis, qui apud Dominantes, Dominici juris habentur, atque adeo ipsius Diœceseos proprii & usû censuales. Membrana Trajectina, Beka, aliique Primarium hujus Comitatûs seu Præfecturæ Municipium vocant *Vullenhô*, atque ab hoc universam hanc *Transisalanæ* Diœceseos particulam. Ubi Godefridus Episcopus circa annum CIↃ CLVI. firmissimum in *Frisios* excitavit Castrum, atque officinam monetariam quoque instituit. Hodie ferè VULLENHOVE vocatur M. P. à *Campis* VII. à *Zwollis* XI.

(a) Ap. Hedam.

XXVIII. FUMERCHARA.

LOci nomen est, cujus usumfructum Episcopus Alfricus seu Alfridus anno IↃ CCCXXXVIII. concessit Rotgario Comiti in antidorum rerum Ecclesiæ Traj. elargitarum. Vicus est, hodie posticam nominis partem servans, HARA. M. P. V. à *Trajecto* in ortum æstivum.

XXIX. FURS.

PErmutationis Litteræ anni CIↃ LXXXV. vocant Saltum *Trenscotano* contiguum & unà cum hoc paludibus oppositum, quæ ad

Everekesdorpe pertingunt. FURS sive FURST nihil aliud est, quam *Forestum* seu *Silva*. Hodie nomen *Bosch* heic superest inter *Midrecht* & *Woerden*, *XL. Hovarum* tractu.

G

I. GANA.

CElebris Annalibus & monumentis locus est, à *Leckia* quidem & *Isla* fluminibus haut longe, in neutrius ripa tamen; Quæ ratio transferendi telonii, quod ibi ex concessione Imperatorum Episcopus Traj. tenuit, in locum commodiorem; uti est in Diplomate ([a]) Philippi Suevi Imper. anni CIↃ CC. Munita Domus Episcopalis fuit cum Villa, à Theodorico VII. Holl. Com. frustrà tentata anno CIↃ CCI. secundùm Membr. Traj. sed à Florentio IV. Leckiam subvecto, incensa anno CIↃ CCXXIV. Et iterùm post instaurationem à Wilhelmo II. teste Beka. Membrana GEYNUM scripsit; Beka GEYNA & GHEYN. Hodiè OUTGEYN. M. P. IV. à *Trajecto* I. à proxima *Leckiæ* ripa.

(a) Ap. Hedam in Theod. II.

II. GASPEWERDE.

ARx est, quam Dynasta de *Govegoye*, beneficio *Gelrico* recepit anno CIↃ CCLV. uti est in Litteris Pontano adductis ([b]). Videtur esse GASPERDE mediis in finibus Utriusque *Bathuæ*.

(b) Hist. Gelr. Lib. VI.

III. GEERVLIET.

MOdicum hodie Municipium est, ubi quondam *Mosæ* & *Vahalis* Confluentes, quos vernaculum vocabulum præsignificanter exprimit. Olim insigne Opidum fuisse, situs commoditas inter duo maxima flumina, & Oceani proximitas, facile persuadent. Rithmographo ([c]) & Bekæ ([d]), in primis celebratur à Vectigali, quod adnavigantibus pendendum fuit. Ille etiam addit, quòd fluminis alveo ad GEERVLIET, *Widel* cognomen fuerit; quia scilicet *Helius*, quod *Vahalis* inferioris cognomentum est, ibi *Latior*, ingentium fluviorum concursu.

(c) In Joan. II.
(d) In Balduino II.

IV.

IV. GELICONIDARUM CASTRUM.

MEnco Werumensis Abbas meminit Castri in *Lenerdawinkel* ubi fuit GELICONIDARUM refugium cIↃ CCXLII. Locus hodiè incognitus : in *Trentæ* tamen vicinia fuisse, tùm *Geliconidarum* cum *Trentonibus* societas, tùm positura *Groningam* inter & *Eletham*, dubitare non sinunt. Fuerunt autem GELICONIDÆ [Emonis verba sunt] *seditiosi quidam de Groninga, qui, inita cum Trentonibus societate, contra Ottonem II. Episcopum Trajectensem & Egbertum Juvenem Præfectum Groninganum conspirarunt* anno cIↃ CCXXVI. Membrana Trajectina GELEKINGOS, vocat *Cives Groninganos divites & potentes*, quibus cum Egberto Præfecto & *Gronenbergiis* gravis intercessit discordia mox in bellum versa, quô intra ipsa mœnia certatum, Episcopo Ottone II. frustrà pacificante, & tandem *Gronenbergiis* palam accedente, ubi GELEKINGOS *Covordiensibus* & *Trentonibus* stipatos intellexit. Atque hinc funestissimum bellum, ipsi Episcopo internecivum : Quod vix defæviit, partibus utrinque invalescentibus vicinorum accessione, ante exortum novæ factionis *Scieringiorum* & *Vetcoperorum*. Quindecennium primum *Groningæ* maximè calamitosum fuit, Urbe bis, incendio & direptione, vastatâ. Post annum cIↃ CCLI. tandem, reliquum belli ferè secundum.

Magnus Ubbo (a), cujus in his meritò apud omnes veneranda authoritas, GELEKINGAM familiam Factionis caput facit; licet nullius proprium nomen gentilitio junctum, toto hoc bello appareat usquam, immò ne in Fastis quidem ullius *Gelekingii* fiat mentio. Verum tamen est extitisse GELEKINGAM Gentem; utpote cui in Urbe Domus fuit, uti potentioribus plerisque, Arcis instar, quod genus **Stenhuysen** appellari consueverat, à quibus & vicis adjacentibus nomina; ceu sunt *Potteringe-Ebbinge-Harderinge-Folkeringe-* & GELEKINGE-**straat**. Quorum scilicet Ædes seu Arces plerunque angulares in *Potterorum*, *Ebbingiorum*, *Harderingiorum*, *Folkeringiorum* & GELEKINGIORUM dominio erant; manente etiam hodie eâdem appellatione : nisi quòd vulgus, pro *Potteringe*, *Folkerdinge* & *Gelekinge*; *Botteringe*, *Foltinge* & *Geltinge* dicere amet. Accedit quòd Sifridus GELEKINGA, inter *Hunsingios* licet, subscripsit Diplomati (b), quo *Siloverdica* Dicio *Gronenbergiis* addicta anno cIↃ CC LXXXIII. Sed & Emo suspicionem injicit, GELEKINGIOS fuisse, quos Wigboldi & Everardi prænomen alternasse, tacitô gentilitiô, ex Fastis compertum est; Cùm tradat ab *Hunesgoniis* Gronenbergicarum partium, incensum fuisse *Wighaldeswerf* cIↃ CCXXXII. neque tunc quicquam ultrà tentatum atque satis visum, vindicasse acceptas injurias in Hostium Ducem, exustô Prætoriô, quod ruri habebat. Et Menco ad Annum cIↃ CCXLI. Wigboldum Wiggeri F. in Gelekonidarum Castro occisum à Gronenbergiis.

(a) Rer. Fris. Lib. IX.

(b) Ap. Emmium Rer. Fris. XII.

I 2 V. GEL-

V. GELRIA.

GELRIÆ nomen, Opido primùm, mox Præfecturæ, nec latæ, nec lautæ, proprium, emanavit in amplissimas Diciones, quas Primi Præfecti eorumque Successores variis temporibus & titulis subinde adjecerunt. Si vera narrasset Furmerius imposturæ non raro manifestus; Rivulo, qui *Gelræ* Opido dexter, GAL vel GEL nomen esse, facile omnes agnoscerent vocabuli originem amniculo deberi. Hoc saltem liquet, à tenuibus initiis, uti nomen, ita & Principatum exortum. Antiquissima liquidò fabulis permista, Authorem legitimum nullum habent: Neque enim Ephemeridum Scriptor, neque Anonymus, neque his recentiores Chronographi à re gestâ multis seculis remoti, silentibus æqualibus & proximis, tanquam testes Legitimi admittendi sunt. Prima GELRIÆ mentio, quam compertam dicere licet, occurrit in Martyrologio Rom. ad annum cIↃ I. in Vita S. Adelheidis: Ubi Megengosus GELRÆ Princeps, filio unico orbatus, à vitæ sanctimonia & continentia laudatur. Qui Successorem habuit Wikindum, incertùm, Legitimum hæredem an extraneum, Patrem Wilhelmi Trajectensis Episcopi & Wichardi, cui GELRIÆ Diciones reliquit. Uti hic Ottoni Nassavio Genero, Comitis GELRIÆ nomine jam insignito anno cIↃ LXIV. in quodam Diplomate, quod sibi visum testatur I. Isac. Pontanus (a) Vir gravis & verax. Nec mirum, Comitem se vocasse, qui illum dignitatis ordinem jam ab Atavis obtinebat. Ipsa GELRIA tamen, hoc honoris titulo demum decorata fuit ab Henrico IV. Imper. in Comitiis Francofurtensibus anni cIↃ LXXIX. in gratiam ipsius Ottonis, qui secundis nuptiis ductâ filiâ Zutfaniensis Comitis, GELRIÆ suæ *Zutfaniam* quoque junxit atque ad Posteros, licet non reliquerit ex illa natos, transmisit.

(a) Hist. Gelr. Lib. VI. pr.

Heda quidem recitat Catalogum Vassorum Trajectensium, operæ etiam antiquæ teste Buchelio, in quo, sub Henrico II. Imp. GELRIÆ Comitatus, *Zutfaniæ* jam junctus, celebratur. Sed, vel hinc, manifestum fit; à Fraterculo Ordinis Mentientium caput illi confictum & caudam: Ut emenutâ ætate, Episcopi sui Majestatem VII. Principibus stipatam, Imperatoriæ hactenus supparem & æmulam assereret ineptulus.

Composita autem GELRIA est ex variorum Populorum laciniis, *Gugernorum* nempe, qui *Sigambri* antequam *Rhenum* traducerentur, *Menapiorumque*: sed hæc *Ruræmundana* vulgò appellatur ab Urbe Principe, avulsa à reliquis, hodie pars est *Belgicæ*, quam *Hispanicam* vocant, & nihil ad nos. Reliquæ, VII-Fœderatis insertæ cis *Rhenum*, in *Batavis*, intra & extra *Insulam*, à principio Agri, ad *Mosæ* Novi cum *Vahale* Confluentes; Ultra *Rhenum*, ad utramque *Fossæ Drusianæ* ripam, in *Frisiis* & *Bructeris*, hinc *Zutfaniæ*, inde *Feluæ* appellatione. De quibus particulatim suo ordine & loco.

VI. GEMERCHI.

AGros humiles esse inter *Medemelacham* & *Chimelosaram* Lacus, illis in locis dictum est vel dicetur. *Frisiis* id genus HEMRICH vocari Parte I. sæpiùs indicatum memini; Item Veteres, non tantùm per H. sed etiam per CH. C. G. aspirationes suas significasse. Atque hinc factum, quòd in Diplomate (*) Ottonis III. anni IↃ CCCCLXXXV. GEMERCHI scriptum legatur, non HEMERCHI secundum aspirationem hodie receptam. (a) Ap. Douzam fil. An. Holl. VIII.

Imperatorem autem horum Agrorum donatione, Theodorico viam ad *Stauriam* & in *Ulteriores Frisios* sternere voluisse, vix dubitandum est. Hodie illorum, nisi parum admodum, ad *Chimelosaram*, superest.

VII. GENT.

ARx & Vicus *superioris Bathuæ* ad *Vahalim*, medio situ inter *Divortium* & *Noviomagum*, Gentis cognominis, quæ hodieque superest. Ecclesia Parochialis vocatur in Diplomate Othonis Com. anni CIↃ CCLV.

VIII. GERE.

TErram *Venensem*, id est, tractum palustrem vocat Florentius V. in Diplomate anni CIↃ CCLXXV. complexam territoriola tria, *Calveslô*, *Alsmer* & *Vrisencop*, hodie, in *Amstelandia*, cognitissima, *Harlemensi* Lacui ad orientem.

IX. GERMERWALDA.

F*Ivelingiæ* Vicus nominis servans, ad viam Regiam, intra IV. ab Urbe Lapidem, *Amisiam* petentibus. Quem Continuator Menconis narrat grave damnum fecisse, propter situm humiliorem, Diluvio Simonis & Judæ Anni CIↃ CCLXXXVII. Additque Stitingiorum Familiam ibidem claruisse.

X. GERSHUSEN.

SErvat nomen *Fivelingiæ* Vicus in ipso *Hunsingiorum* limite positus M. P. XI. ab Urbe in Aquilonem. Mentio ejus est apud Menconis Continuatorem ad annum CIↃ CCLXXXIII.

XI. GERSLOTE.

A*Ngwerdensis* Præfecturæ apud *Frisios Forestenses* tenuis viculus est, nomen custodiens. M. P. III. à Paludibus, quas Domini-

Digitized by Google

cas vocant **'t Heeren Veen/** in Septentriones. Anonymus Vitæ Dodonis Scriptor; Paralyticam Sacerdotis filiam, precibus Eremitæ heic ſanitati reſtitutam refert.

XII. GESCHORON.

ALtare ad Eccleſiam *Bueſichemenſem* pertinens, uti eſt in Litteris Andreæ Epiſcopi Trajectenſis anni cIↃ CXXXI.

XIII. GETHORNE.

LOcus eſt Terræ *Vullenhô* ubi de Pace compoſitio facta eſt, per *Friſiæ* Antiſtites, inter Epiſcopum & *Trentones* cIↃ CCXXIX. Narrante Anonymo Membranæ Trajectinæ Scriptore. Servat hodieque nomen M. P. IV. à proximâ *Flevonis* ripa. VI. à *Vullenhod.*

XIV. GILLEYELA.

V. Ill. Ansfridus ſeu Aufridus & Hilſewydis ſeu Hilſondis ſub Ottonibus, omnes ferè Diciones inter *Leckiam* & *Scaldim*, à *Bathua* ſuperiore in fines Comitum, qui diu poſt *Hollandienſes* dicti, connubio junxerunt. De *Teiſterbantium* agris, ipſe teſtis eſt in Diplomatibus ([a]) variis. De *Bratuſpantium* Sigebertus Geminiacenſis; ([b]) ſcilicet *Ryenſium*, *Huyenſium*, *Lovanienſium*, uti demonſtratur in ejus Vita ([c]). De *Strienſium*, qui dotales, ipſa Hilzondis in Litteris ([c]) datis *Thorenæ* [Cœnobium Virginum eſt, ab Aufrido, in gratiam Benedictæ filiæ conditum prope à Moſæ ripa læva, contra Inſulam, hodie **Stevensweert** dictam] anno IↃ CCCCXCII. d. Kal. Jun. quô, bona gratia Mariti, jam ſeculo, quod ajunt, renunciaverat, idque ante ipſum; utpote qui debellatis Prædonibus Brachbantinis anno IↃ CCCCXCIV. ex Duce demum factus Epiſcopus Trajectinus ordine XVIII. ſecundùm vetuſtum Vitæ ejus Scriptorem S. Pauli apud Trajectinos Monachum.

(a) Ap. Hedam.
(b) Ad annum IↃ CCCCXCVII.
(c) In Act. SS. ad d. III. Maii.

In his, Villa GILLEYELA cum locis pluribus Strienſis Comitatûs, donatur Eccleſiæ Cœnobii de *Thorne*: Quia verò hæc in Terra de *Stryen*, uti loqui amat, vix dubium eſt, quin deſignetur GILLESEN, qui hodieque Vicus *Bredani* territorii, quondam Partis Comitatûs *Strienſis*. M. P. VII. ab ipſo Opido in Phœniciam ventum.

XV. GLEMMENE. GLUMME.

T*Rentowaldæ* Vicus ad *Aham* amnem M. P IV. ſupra Urbem *Groningam*; Hodie GLIMMEN dictus. Hujus meminêre Werdenſis Charta & Membrana Trajectina, Caſtrum in GLUMME ædifi-

ædificatum narrans ab Egberto Groningæ Præfecto circa annum CIↃ CCXXVII. mox dirutum à *Trentonibus* Geliconidarum Partium.

XVI. GOES.

AUstralis *Bevelandiæ* Urbs sola, proximè ab Euripo, qui *Bevelandias* separat. Inter *Zelandicas* hodie ordine V. vulgo TER GOES vocatur, id est, AD GOESAM. Unde hæc ducta nomenclatio? non admodum liquet. GOES quidem anserem femellam notat; quam & insigniis præfert; Sed leve hoc esse indicium, ad *Vlissingam* ostendetur. Heic tamen à vero non ablusum videtur; quia ferorum Anserum, minuti generis, circa fossam, quæ ad Urbem ducit, & in ipsa Fossa, statis temporibus plurima copia; A quibus ipsi Fossæ GOESÆ, atque hinc Urbi AD GOESAM nomen fieri potuit. Quod si hâc duxisset via militaris; à Signo Anseris ad Tabernam suspenso, cujus infinita in Itinerariis exempla sunt, loco vocabulum adhæsisse, maximè verosimile foret.

Castrum ibi excitari cœptum anno CIↃCCC. Stokius (a) author est; inquiens (a) Joan. II.

> Ter Goes was een begin
> Van enen Huze. Id est, Arcis.

Num quæ antiquior ejus mentio? non comperi.

XVII. GOYE.

PArs inferior est Pagi *Hutingoæ*, qui Pago *Flehite* ad occidentem terminatur. Ut nullum sit dubium, quin eadem illi nominis origo, quæ Pago Universo; ab *Aw. Gaw, Goy*: minimè à Gudela *Altinensi* Abbatissa, quæ nonnullorum nimis ambitiosa conjectura est. Suos quondam seorsùm habuit Comites, ad quos & *Benthemiensis* Comitatus pervenit sub seculi XIII. finem, renunciante Gerhardo, secundum antiquæ manus annotata ad Catalogum Vassorum Traj. & litteras Ottonis Episc. CIↃ CCXXVIII. [*lege*: CIↃ CCXXVI.] Retinet hodie nomen 't GOY & GOYLAND ad Lacum immensum *Flevonem* & *Vechtam* Citeriorem, sub *Hollandiæ* Imperio partem maximam.

XVIII. GOLDA.

FOssa est, cum Alvei nativi parte, inter *Rhenum* & *Islam Batavum* transversa; Ad quam Andreas Episcopus Traj. (b) anno CIↃ CXXXIX. Ecclesiæ S. Salvatoris tribuit Decimas omnes agrorum tunc recens excultorum; una cum seculari justitiâ; Sic vocant Hierarchiæ Sectatores Juris dicundi potestatem in bona & corpora; oppositam Imperio in animas & conscientias; quod & sibi arrogant, per summam Numinis (b) Ap. Hedam.

minis irreverentiam, mortalium execrabilissimi. Florentius V. hanc fossam jam nuncupavit De Goude in Diplomate cIↃ CCLXXXI.

Est & inter Euripos Zelandicos, quem GOLDAM fluvium dixit Otto II. Imper. IↃ CCCCLXXIV. cui adjacet Insula, ex illarum genere, quas Stellen vocant, XC. Ovibus pascendis par. Novit & (a) In Joanne II. Stokius (a);

Op *Goude* vochten al den nacht
Ende in *Middelburg* bin der Gracht.

XIX. GORE.

TUentæ Opidum, quondam primarium, ad *Recclam* fl. Veterum Comitum Sedes, à qua Pago *Tuentæ* Universo GORÆ Comitatus nomen fuit. Hodie tenue, uti ferè reliqua omnia. Abest à proxima *Salæ* seu *Ysalæ* ripa M. P. XIV. Durarunt GORENSES Comites, Diœceseos Signiferi, de quibus Catalogus Vassorum & Membr. Traj. ad annum cIↃ CCXLVIII. quo Imperator Wilhelmus contumacium bona Episcopo *Traj.* denuò permisit.

XX. GORICHEM.

INter Minores Hollandiæ Urbes hodie censetur, ad *Lingiæ* & *Vahalis Mosæ* jam juncti Confluentes. Contracta, ut solet, voce hodie GORKUM vocatur. Vulgò creditur hoc ei nomen additum à primis habitatoribus, inedia & macie strigosis, vernaculè *Gorren*. Discerpto *Teisterbantiæ* Comitatu (cujus portio exigua est) quicquid hujus territorii erat, ad Arculejos pervenit, Quos, hoc nomine, *Hollandiæ* Principum clientelares factos circa annum cIↃ CCXC. refert Joh. (b) Hist. Gel. Lib. VI. Isac. Pontanus (b) fidus in primis Author. De Opidi initio, quæ narrantur, Testes habent fidei sublestæ.

XXI. GOUDA.

EX VI. Majoribus *Hollandiæ* Urbibus, loco, amplitudine, potentiâ infima; immò & ætate; si excipias *Amstelædamensem*, omnibus junctis, modis omnibus aliis, majorem. Lauta tamen & splendida Civitas, quam expectationis maximæ quondam fuisse, indicio est, ingens Fanum, quo nullum totâ *Hollandia* spaciosius. Nomen adepta est à Rivo GOUDA seu GOLDA, qui Urbem transit, atque, sub mœnibus, *Isæ* jungitur. Vulgò Ter Goude/ id est, AD GOUDAM. Quando Opidi dignitate censeri cœpit, certo Auctore non constat. Hoc saltem, quòd Florentius V. GOUDAM (c) Ap. Boxhorn. Opidum immunitatibus ornarit anno cIↃ CCLXXII.

XXII.

XXII. GRAVENINGUM.

CArolus Martellus in Diplomate anni Iↄ CCXXII. Pascuum vocat *extra Trajectum*, sub mœnibus, Willibrordo donatum; fortè Grabeninge-Lande dictum à Comite quondam possessore: Uti Pascua propè *Groningam* Abdine-Lande ab Abbate.

XXIII. GRONENBURCH.

GRoenenbergensium *Groningæ* Præfectorum Castrum gentilitium fuit, in conspectu Urbis, contra *Trentowaldios* potissimùm excitatum, in *Hunesæ* peninsula, à qua principium divortientis alvei hodierni. Destructum semel anno CIↄCCXLI. iterùm anno CIↄCCL. à Geliconidarum sociis; narrante Mencone. Post hæc vix è ruinis resuscitatum, nisi tumultuario opere. Ipsi Præfecti non GRONENBURG; sed GROENENBERG tum Arcem, tum Gentem suam appellarunt. Fuêre autem Gronenbergii, in Urbis Prætura diutiùs quam monumentorum superest memoria; Item in *Trentowaldica*; Sed heic ab anno CIↄ XL. Episcopi beneficio. Utraque exauctorati ab Herberto Episcopo Traj. anno CIↄ CXLIII. Verum à Balduino, cui invisa Herbertidarum potentia, duplici Præfecturâ *Groningæ* & *Covordiæ* superbientium, iterùm restituti, Principatûs sui initio, id est, haut diu post annum CIↄ CLXXVIII. Deinceps eô beneficiô gavisi, dum superfuit proles.

Cujus successionis schema, unà cum Herbertidarum progenie, heic exhibuisse ex antiquis monumentis non abs re fore putem.

XXIV. GRONINGA.

URbs haut dubiè antiquissima, non modo *Frisiorum*, sed totius transrhenani littoris. Hoc nominis adepta est à viriditate camporum interamnium, quorum occupat dorsum. Atque hunc situm indicant haut obscurè, vel ipsa Urbis insignia, viridis plagæ transversim inrer duas puras, id est, Aquas seu amnes, mediæ. Viride enim Frisiis est *Grin*, Germanis interioribus *Gruin* seu *Grün*, Littoralibus aliis *Groen* & *Gron*. Ex quibus factum, GRINS. GRUNINGEN. GROENINGEN. GRONNINGEN. GRONINGEN. Et apud Hollandos, minùs rectè imitatos enunciationem Saxonicæ diphthongi *OE*, GREUNINGEN. Qui latine scripserunt GRONINGAM. GRONINGIAM. GRUNINGAM. GRUNINGIAM. vocarunt; nonnulli etiam GROENINGAM. ING autem, si usquam alibi per Wetmaniam, apud nos quam maximè Patronymicarum charactet est. De *Gruno* conditore, quæ venditant Mythologi, futiliora sunt, quam

quæ refutari mereantur. Verum enim verò definire seculum, quo hæc appellatio primùm invaluit, temerarium existimarem, silentibus monumentis. Evaluisse dudum ante Caroli M. ævum, liquidò testatur antiquum marmor, quod *Romæ* extat in Æde Michaëlis longè antiquiorem se ipso exhibens historiam, quâ inter Frisios Heroas, qui Imperatori egregiam bello operam navarunt, celebratur Princeps Ilderado de GRONINGA. Seculo certè IX. *Normannis* omnia circum latè vastantibus, ipsam quoque hanc Urbem, jam tunc inter nobilissima Emporia celebris fuit; Teste Hedâ rerum nostrarum Scriptore, circa hæc tempora minimè vano, Qui, *Normannos* anno Iↄ CCCXXXVII. funditus delevisse narrar (a); *Antverpium Opidum ad Scaldim, Wintlant ad Mosam, ac GRUNINGAM* [cujus Navale] *ad Amasim Flumina, nobilia Emporia.* Nec ideo minùs Emporia, quia munitionibus carentia [saltem Groninga] à Buchelio arguantur; cum hæ solarum Urbium Regiarum Arciumque, hac ætate, erant, non Emporiorum nedum vulgarium Opidorum. Paucos post hæc annos, cùm *Normanni* prædæ asportandæ ad suos recesserant brevi reversuri, GRONINGÆ, contra similes insultus, excitatam fuisse Arcem ingentis molis ex topho lapide, in Urbis angulo Eoô, Ubbo Fmmius Author gravissimus prodidit. Hactenus, inter alia, uti & Heda, suffultus Antiquâ illâ Membrana Trajectinâ optimæ notæ, Quâ disertim narratur; *Ecclesiam S. Walburgis à Civibus Groninganis, contra Normannos, temporibus B. Alfridi* [ita legendum pro Walfridi] *fuisse ædificatam*; id est, ante annum Iↄ CCCL. quo Alfridus Episcopus vivendi finem fecit. Perduravit autem hæc Arx seu Ecclesia, promiscui enim usus semper fuit, cum turri egregiè fastigiatâ, ad Patrum nostrorum memoriam. Atque hinc certò intelligitur, GRONINGAM, ab illo tempore, ejusdem saltem longitudinis fuisse, quam obtinuit ante novissimam amplificationem, ab area scilicet Walburgica, ad amnis ripam Urbi à primis initiis, occiduam. Insequente seculo X. quod Carolinorum excepit Imperium; cum jam Opida, distinctim à Civitatibus in quibus Episcoporum Cathedræ, rusticâ Latinitate, seu lingua Franco-gallica, *Villæ* appellari insueverunt, uti hodieque quævis alia per Gallias; *Villici seu Villani* dicti fuerunt, qui in iis Prætoria erant dignitate; haut secus quam *Castellani*, qui in Castellis, aut *Laïci Capitales* qui suo nomine, vel *Sculdacii*, qui alienô, ruri apud Plebem eodem munere fungebantur. Fuit etiam tunc nostræ GRONINGÆ suus *Villicus seu Villanus*, cui vernaculè nomen Grünevoecht / à Grin & Grün / id est, Groninganus Prætor: Ad eundem modum, quo Gandavensis, *Villanus de Gandavo*, notissimo hodieque vocabulo nuncupatur. Cujus quidem rei nulla nobis superesset memoria; nisi Wilhelmus Friderici, qui *Personam* Episcopi in sacris, vertente diu altero seculo, hîc sustinuit, & Reip. semper præsto fuit, patriæ antiquitatis studiosissimus, horum tempo-

rum

(a) In Willibrordo & Alfrido seu Alfrico.

rum Chartam antiquam, ex Cœnobio *Werdensi* ad *Ruram* Transrhenanum, recuperaverat; Quam, filio ejusdem Hieronymo, ICto. apud nos optimæ famæ, Viro integerrimo acceptam, publicavit Corn. Kempius, atque suo Rerum Frisicarum Operi, cœtera satis futili, inseruit. In hac reperitur, *Villicus* in GRONINGEN, item **Grünebuecht**/ Qui Hedæ passim *Grunorum Præfectus.* Additur quin etiam; Werdensi Cœnobiarchæ, cui Ecclesiarum *Minoris Frisiæ* & *Trentæ*, statis temporibus, mandata videtur Visitatio, *Curtem & Domum Abdincam*, uti loquebantur, [**Abten-Huys**] in GRONINCK fuisse. Neque sub id tempus, vile aut desertum fuit Opidum, GRONINGA; sed mercatu denuò celebre, cujus quippe mensuræ modus, ut solet Emporiorum, ad Exteros evaluerat, teste Chartâ, *Mensuræ Groningensis* mentionem injiciente. Cui & accessit *Monetæ Groningensis* celebritas, apud Emonem Werumensem. Hanc chartam verò, hoc seculo recentiorem non esse, satis prodit ipsa *Villici* appellatio; Cùm constet ([a]) sub ipsum ejus initium Præfectos, jam insignium Comitum numerô habitos, & mox subsecutos Prætores perpetuos, spretô *Villici* axiomate, *Præfectos* seu *Rectores*, secundum Emonem, latinè; **Stadtholders** & **Burchgraben** germanicè salutatos fuisse, notante etiam Beka ([b]), hactenus tantùm falsô, quòd Præfecturæ initium, quæ dudum penes Gronenbergios fuerat, Heribetto tribuat, qui nil nisi Jus hæreditarium addidit in gratiam Fratris.

(a) Schemate successionis suprà.

(b) In Herberto.

Ante annum CIↃ XL. Prætor Groninganus, imperiali auctoritate, ad suum Tribunal in Urbem evocare solitus *Trentowaldios* Prædium Dominicum colentes, inter *Trentones* & *Frisios Minores* medium. Deinde ab Ecclesia Trajectensi eandem auctoritatem mutuare debuit. Cui scilicet Henricus III. Imperator, justis Patti factis, id jus dono dedit; de quo exstant Tabulæ, aureâ suæ imaginis Bullâ (uti loquitur) insignitæ; *Quibus S. Trajectensi Ecclesiæ, liberâ manu donando, concessit tale Prædium, (quale visus fuit tenere in VILLA GRONINGA nuncupata) in Comitatu THRENTE situm* &c. *cum omni ejusdem Comitatûs districtione.* Inauspicatissima verba! Initio quidem ritè intellecta, nec aliud operata; quam quod Trajectensis Ecclesiæ Fratres, quos vocat Imperator, Præfecto Groningano prorogarint Juris dicundi potestatem *in Prædium illud in Comitatu Thrente situm*, cui tunc *Trentowaldæ*, hodie **Gorecht** nomen, ex ipsa *Villa* seu Opido GRONINGA porrò exercendam. Cæterùm, post auctam tum Episcopi, tum Urbis GRONINGÆ potentiam, longè diversam procudit interpretationem, dira ambitiosorum Præsulum regnandi cupido. Quasi ipsa GRONINGA, Urbs Imperii liberrima, nullius perfidiæ suspecta, nedum rea & convicta, ex prædicta formula, transierit in Dicionem Trajectensis Ecclesiæ, ceu quædam accessio Prædii illius Dominici, adeò exigui proventûs, ut pretium vini, quantum xxx. carris advehi potest, vix excedere subindicetur: Carratas xxx. vocant

Donationis Tabulæ, quibus hac de caussa, à mala manu, addita inscriptio

DONATIO. HENRICI. DE. GRONINGA. IN. COMITATU. THRENTIÆ.

Historici operis est exequi, quos motus, quas cædes, quæ bella excitarit perversa & summè maligna hæc interpretatio. Heic sufficiet indicasse, dictum adhuc bellum fuisse Suevis Imperantibus, atque diu post demum sopitum; hac quidem lege, secundum genuinam Tabularum sententiam; Ut Episcopo jus esset dandi Prætorem *Prædio Trentowaldæ* seu Goterht / diversum à Groningano Præfecto; sed qui Jus diceret, uti ab antiquo, in ipsâ Urbe, id est, in *Villa Groninga nuncupata.*

Seculo XII. increbuit GRONINGÆ fama cum opibus & potentia. Et quæ hactenus non nisi præfixis sudibus, aditus exitusque nocturnos præcluserat, de lateritiis mœnibus cogitare cœpit: Trajectino Præsule novum opus inhibente, atque ipsam Urbem, ope *Clivensium* Principis, occupante. Quibus tamen mox ejectis, cœptam mœnium constructionem felici successu perfecit.

Seculo denique XIII. quo defecit Augusta Domus Suevica, GRONINGA, jam tum opulentissima, uti est in Membrana Trajectina, gravissimis licet pressa malis; factionibus, incendiis, direptionibus, fame, lue, diluviis; solida tamen jecit fundamenta duraturæ potentiæ; Fœderibus sancitis cum Vicinis circumquaque, notâ arte Regnantium; quòd per hæc potentioris ferè gliscat authoritas. Restabilito etiam Senatû XVI-Virûm; penes quem summa potestas, moderantibus Consulibus, quotum Fasti (quia illorum nominibus anni signantur more Romano) ad nos pervenerunt pæne integri. *Unsingis* fluvius quoque qui, ad tertium ab Urbe lapidem, *Abam* recipiebat, eidem intra mœnia junctus. Ad hæc Fana illustria duo extructa [Parochiales Ecclesias vocarunt] Majus in area Walburgica, cui hodie adhæret recentior turris ex cæso lapide in sublimitatem pedum R. CCCXXXIII. ab humi superficie, evecta. Minus haut longè ab *Abæ* amnis ripa. Valida igitur Urbs Operibus, Opibus, Virisque; *Frisiorum* caput, ancora pacis, Custosque libertatis deinceps habita. Atque hæc potissimum sunt, quæ de GRONINGÆ antiquitatibus hactenus repeti vereque prædicari poterunt. Si Hunibaldus, cucullati ordinis seu mentientium scholæ longè mendacissimus impudentissimusque, uti reliqua omnia, ita etiam suam ætatem, non fuisset mentitus, repeteremus GRONINGÆ appellationem, saltem ab ipso Justiniani excessu: Sed, qui se vixisse simulat Imper. Justino II. & Rege Chlodovæô, dissimulare non novit sibi cognitum *Roterodamum*, nomen intra annos quadringentos demum natum, extincto non ita pridem Suevorum Imperio.

O!

Digitized by Google

SCHEMA SUCCE

GROENENBERGIORUM &

GRONINGÆ &c. PRÆ

WERNERUS de GRONINGEN cIↄ xrti. Comitum oumero ceofitus in Tranfactionis Inftrumento, inter Abbatem Prumienfem & Ducem Limburgenfem. *Pontan. H.G. Lib. V. Ex Chron. MS.*

PATER HERBERTI & Fratrum, Berumeofis Parochiæ Vicanus.

EGBERTUS de GROENENBERG Grooingæ Præfect. exauctoratus ab Herberto Epifc. 1143.

LEFFARDUS Groningæ Præfect. Exauctorato Egberto fuffectus, Feudi Hæreditarii jure 1143.

HERBERTUS Epifcopus & Princeps Trajectinus, Præfecturas in annos paucos tribui folitas, Fratribus fuis eorumque hæredibus eoncedit in perpetuum.

Lambertus F... di Fratris fi... defuncti Pr... *Membr. Traj.*

BERTHOLDUS de GRONINGE. à Balduino Epifcopo Tutor datus **ALBERONI.** Præfectus Groniogæ. Obtruncatur ab Herberto Pupilli Patruo.

Godefcalcus de Sepperotbe Nobilis Weftfalus. *Memb. Traj.*

Filia unica eum Marito ante Parentes defuncta.

Menfo & Rudolfus Pedetani... num eonjurant. *Membr. Tra... ta Theodorici Epifcopi Trajectini... Trajectin.*

EGBERTUS E N. de Groenenb. Præfectus Groo. fub Ottooe II. Epifcopo. Princeps Arbiter mter Epifcopum & Gelriæ Comitem. Dictus Engelbertus de Groninge *in Compromiffi Formula* 1125. *& in Charta Theodorici Epifc. Traject.* 1208.

Rodolfus de Groninge, filius Chriftinæ, Egberti Agnatus & Adverfarius. *Menco*

RUDOLFUS Groning. Præf. poft Avum Maternum. Perit trans Mare.

Herbertus, cæfo Bertholdo, Præfecturam Groningæ gerit pro Alberone Nepote.

M...

Rudolfus à morte Patris cæfus. 1241. *Menco.*

EGBERTUS Juveois dictus. Præfectus Groningæ, Fratris cædem, Pedefanorum ope, ulcifcitur. *Menco. & Memb. Traj.*

Godefcalcus Silowerdiæ Domicellus. fortè per Uxorem.

Thizo de Groninge, Gelkingiæ Factionis, cæfus. 1248. *Menco.*

Conradus... ninge, M... *Menc.*

Rudolfus de Niurecb *Memb. Traj. Menco.*

Menfo ter-Aa feu ad Amnem.

Adolfus & FF. Præfectus Groningæ poft Patrem, 1285. adbuc fuperftitem. *Fafti. Emm. ad annum* 1285.

EGBERTUS & Ludolfus Prætoriam poteftatem in ... Eaque Decreto Publico eedit Patruo ceu Trentowaldiæ Præfec... dio, natu Majori fuit Uxor, non conftat; Filii tamen ejus effe ...

Joannes M. F. COS. Groningæ 1303. *Fafti.*

LULOFF, Ridder, Heer van Groenenberg, Stadholder in Groningen. 1315. *Sceda Ant.*

EGBERTUS Groningæ Præfect cum Egberto Silowerdio 1322. *Emmius.*

Ava, Egberti Silowerdii Uxor, qui eo forte nomine Egberti Groenenbergii Collega factus.

N. de Sil... wert.

Henrico... inveftitu...

BERTHOLDUS de SILOWERT. Filius Dominæ Avæ, Domicellus de **GROENENBERG.** Groningæ Præfectus, fuæ Gentis ultimus 1330. COS. 1345. *Fafti.* Emmius quidem Hunc facit filium Ludolfi Groenenbergii, Groningæ Præfecti; Ejufque forore genitos Adolfum & Fratrem Silowerdicos. Verum aliter rem fe babere arguit, duorum Egbertorum intermedia Præfectura, ipfi Emmio agnita. Et Bertholdo Patrium SILOWERDIÆ nomen, Ludolfi Groenenbergii filio minimè competens. Si igitur Adolfus & Frater Idæ Avus, Avunculum habuêre Ludolfum Groenenbergium, oportet Bertholdo, vel Fratres fuiffe, vel Amitinos, alia Ludolfi forore natos, & fimul Patrueles.

Ida Nobiliffim... bergiorum & S... tientibus omnib... dicam Urbi Gr... cum Cortingia, ... fas. Gronenber... vaftationibus, ...

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

ESSIONIS

& HERBERTIDARUM

ÆFECTORUM.

ım,

ıs Pedezanus. Leffar-
a fine mafcula prole
Præfecturam petit.
Traj.

Ludolfus, Covordiæ
Præfectus Jure Feu-
di Hæreditarii.

N. Comitiffa Goren-
fis. Rodolfi foror.
Membr. Traj.

Florentius de Vo-
renburg Covordiæ
Præfectus pro Pri-
vignis.

O

zani cum Agnatis in Epicopum Baldui-
Traject. Menlonis etiam mentio *in Char-
tiis* 1208. *Apud Matthæum ad Membr.*

Rudolfus & Folkerus. Balduino Epifcopo, in quem cum Agnatis conju-
raverant, Caftrum & Præfecturam Covordiæ cedere coguntur. Atque
poft annos ıx. Agnatorum Operâ recuperant. Anno cıↃ c xcı. *Mem-
bran. Traject.*

Menfo.

Adolfus & Rudolfus, Mi-
lites Pedefani. Egberti in
vindicanda fratris nece So-
cii. *Menco.*

Rudolfus Covordiæ
Præfectus. Ob cæ-
dem Ottonis II. Epi-
fcopi Rotæ impofi-
tus. 1230.

Fridericus Covordiæ
Præfectus ex De-
creto publico *Memb.
Traj.*

ıadus de Gro-
e, Miles 1250.
o.

ALBERO. Præ-
fectus Groningæ
Hæreditarius.

Adolfus de Pedeze feu Peyfe, cum Egberto
Groningæ Præfecto à Gelekingiis in capti-
vitatem ductus 1253. *Menco.*

Filia — Henricus de Burclo
Præfectus Covord.
1232. *Membr. Traj.*

ın Silowert fœdifragio committunt.
æfecto. 1283. Quæ Ludolfo Silower-
effe videntur

Otto de Gro-
ninge. Miles.
Menco.

Henric van Burclo
Præfectus Covor-
diæ. 1270.

ᴎ.
e Silo-
vert.

&

Adolfus, Tutor primò filiorum Fratris, deinde
Neptis Idæ. 1359.

Reinholdus van Bur-
clo Covordiæ Præ-
fectus 1328.

nricus de Silowert, Armiger, petit ab Epifc.
eftituram Præfecturæ Groning. 1351. *Buchel.*

LUDOLFUS.

ıliffimæ Gentis & utriufque Familiæ Groenen-
& Silowerdiorum finis. Vendidit, confen-
nnibus, quorum intererat, Arcem Silower-
i Groningæ & Sociis. 1368. Qui illam unà
ıgia, mox folo æquarunt, ceu Libertati invi-
nbergicâ dudum ante, crebris Gelekinginrum
ıs, ita attritâ, ut nihil inde metus.

— Herman Idæ junctur.
1360.

Henricus.

Joannes Covordiæ Præfe-
ctus.

Reinhaldus Covordiæ Præfectus
ultimus. Vi & armis ab Epifcopo
Traject. ejectus 1395.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

O! bardum hominem. Cui, miror, à Viris non indoctis Munstero, Guiccardino, aliis, fidem adhiberi potuisse; GRONINGÆ nostræ antiquitatem ex putido hoc mendaciorum fonte derivatam, JESU CHRISTI natales prævertisse narrantibus, annos totos CCCLXXVII.

XXV. GROTERHENEKESTEGRON.

Describitur Henrico IV. Imp. in Diplomate anni CIↃ LXIV. locus Silvestris inter Valkenburg & Litte seu *Lugdunum* ad *Rhenum*. Ex Vocabuli significatu, fuisse videtur fundus amplus ad *Rhenum* Castaneis consitus.

XXVI. GRUNEWERT.

GRUNEWERT & Groenewert vocatur *pars Insulæ ultra novam Dicam, in Parochia Haltensi.* Id est. Agri novissimè per *Leckiam* adjecti, necdum aggere muniti portio, non longè ab Houten. Quod idem cum Halten & Haltna *Interlacensis* Pagi esse putem. Hodie periit Insulæ vel recentis Agri memoria. Mentio ejus est in Litteris Ottonis Episcopi anni CIↃ CCXXVIII. [lege XXVI.]

XXVII. GRUNLOE.

Vox Locum editum gramine vestitum notat. *Curtis* vocatur in Diplomate (*) Ottonis Gelri, anni CIↃ CCXXVI. Hodie (a) Ap. Pontan. GROLLE minutum *Zutfaniæ* Opidulum est propè à limite Comitatùs Orientali, ad amnem, cui Slink nomen.

XXVIII. GRUOSNA.

Villa vocatur ab Alfrico Episcopo tradita anno IↃ CCCXXXVIII. Comiti Rotgario in largitionum suarum redhostimentum; utenda fruenda dum viveret. Quia verò Majores nostri sonum Græcæ Diphthongi . per *OU* exprimere soliti fuerint, in cujus locum *OE* dudum successit; GROESSEN indicari patet, quô nomine Vicus extat in dextra *Rheni* ripa M. P. IV. supra initium *Fossæ Drusianæ*. In Diplomate Ottonis Magni anni IↃ CCCCLXX. vocatur GRESE.

Digitized by Google

H

I. HAGA.

SEpem notat vocabulum, quia locus Silvis quondam obseptus. *Hollandiæ* splendidissimum Municipium est, Urbibus, etiam eximiis æquiparandum vel anteferendum. Ad illum, quo hodie conspicitur, splendorem, sensim erectum, ex quo Wilhelmus Imperator Aulæ suæ sedem esse voluit, & pariter Comitiorum Summique Tribunalis: Licet & antea Comitibus frequentatum constet; Florentio saltem II. anno CIↃ XCVII. (a) uti etiam in ejus Diplomate. Stokio frequenter in ore est; sed demum ab anno CIↃ CCXCVI. quô Florentii V. Conjugem, **in die Haghe** / diem suum obiisse refert. Uti autem Sedi priori additum fuerat à Comite cognomen **'s Graven-Zande** / ita & novæ accessit **'s Gravenhage**. Abest à littore *Oceani* M. P. II. à *Delfa* IV.

(a) Ap. Buxhorn.

II. HAYMONIS MONS.

CLade *Gelrica* contra *Hollandos* anno CIↃ CXCVIII. nobilitatus. *Renensi* Opido imminet inquit Buchelius, nomenque videtur retinere ab Haymone loci Principe. Beka (b) & Heda sic Latine verterunt, vernaculum **Heymenberg** / quô usi Membrana Trajectina & Stokius.

(b) In Arnoldo & Theodorico.

III. HALLOVINA.

HOdie HELWYN Vicus *Werthæ Tilensis* ad *Vahalem* M. P. II. infra *Bommelam*. Baldricus Vir Nobilis donavit in hoc, anno IↃ CCCL. Prædium suum Ecclesiæ *Trajectinæ*.

IV. HALLUM.

SIbrandus Mariægardensis (c) fato functus CIↃ CCXXVIII. B. Friderici patriam HALLUM, Villam vocat, id est, Vicum Prætorium, vel saltem Parochialem, Viris nobilibus & inclutis tunc temporis valde famosam. Abest ab *Horto Mariæ* M. D. passibus non amplius, versus aquilonem; neutiquam minore celebritate quam olim.

(c) In Vita Frid. Abb. cap. I.

V. HAL-

V. HALTHENA.

NOn spernenda Dicio inter *Merwedam* & *Mosam veterem*, ex Laciniis *Teisterbantiæ*. Cujus Dynastæ in fidem *Hollandiæ* Comitum concesserunt, quorum tandem plenissimo Jure facta est. Ita quidem vocata in Diplomate Theodorici VII. anni cIↄ ccxII. [rescribendum cIↄ ccII.] Alibi HOUTENA; certo indicio à Silvis nomen esse. Hodie, omissa aspiratione ALTENA scribitur & pronunciatur. Arx etiam fuit eodem nomine, cujus supersunt reliquiæ M. P. III. à Workum ejus Primario Opido.

VI. HALTNA.

INventarium vetustissimum Bonorum Ecclesiæ Trajectinæ, edit hoc vocabulum; Buchelius fidem facit hodie vocari *HOUTEN*, qui Vicus Parochialis est *Interlacensis Pagi* M. P. IV. ab ipsa Urbe *Trajecto*. In Litteris Ottonis Episcopi Traj. anni cIↄ ccxxvIII. [verè xxvI.] HALTEN dictus.

VII. HAM.

CAmpiniæ Villam vocat Theodoricus Abbas Trudensis, quam Pipinus Landesius dono dedit Trudensi Cœnobio, sub seculi VII. initium. In Legibus Salicis scribitur cum aspiratione CHAM; atque frequens ejus mentio est, ceu Loci, in quo sæpiùs *Mallum*, id est, Colloquium, Concilium, Judicium à Populo agebatur. *Bredani* Territorii vicus est, nominis CHAAM retinens, M. P. VI. ab Urbe in ortum æstivum.

VIII. HAMARITHI.

PLurium numerus indicat duo fuisse loca nomine HEMERTH. Quod & colligitur ex uno, qui superest Op-hemerth / id est, HAMARITHUS superior, dictus HAMERTHE in Diplomate Anfridi Episcopi Traj. cIↄ vI. Inferiore deperditô. Vicus est *Werthe Tilensis* ad *Vahalim*. M. P. III. infra ipsum Opidum. Hujus reditus assignavit Ludgerus Episcopus anno Iↄ cccL. Baldrico Viro Nobili, qui bonis suis omnibus cesserat Ecclesiæ Trajectinæ.

IX. HAMELAND.

HEmum dixit Carolus M. anno Iↄ ccLxxvI. amnem, qui in *Flevonem* influit, Citerioris Diœceseos Traj. *Pagi Flehitæ*. Ab hoc inferior pars, ad oram Lacûs, Eemland vulgò vocatur, quam per HAME-

HAMELANT intelligi in Diplomate (a) Ottonis M. Imp. anni IↃ CCCCLXVIII. dubitare vetat connexio cum **Nardinc-Lant** / ora itidem maritima Pagi *Hutingoyensis*, proximi à fronte. Ut adeo omnis illa ora, quæ Lacui australis, tunc Abbatissæ *Eltensis* facta fuerit: Et postea, Godelæ Antistitæ translatione, Comitum *Hollandiæ*, uti verbis præclaris testatus est Florentius V. in Diplomate (b) anni cIↃ CC LXXX. Alteram partem **Emelant** / alteram **Nardingerlant** vocans. Utramque *Oostbollandiæ* nomine comprehendere, tentatum quidem est, indicium faciente Beka (c), & clariùs ejus Continuatore Suffrido, (d) sed ad nos non evaluit; Episcopo HAMELANDIAM sibi vendicante.

(a) Ineditum.
(b) Ap. Pontan. Hist. Gelr. Lib. VI.
(c) In Joan. IV.
(d) In Wilh. V.

X. HAMERTH.

VIcus cis *Mosam* describitur Stokio, ad quem Florentius I. Holl. Com. victis & fugatis Cæsarianis, fessus in umbra quiescens ab hoste resurgente cæsus est, anno cIↃ LXI. Extat hodie ad *Heusdam*.

XI. HAMMA.

ITa scriptum in Diplomate Ottonis M. anni IↃ CCCCLXX. In altero Ottonis III. IↃ CCCCXCVI. HAMNIUM. Rursum in alio Lotharii II. cIↃ CXXXIV. HAMNES. Curtis fuisse dicitur, inter dona Wichmanni Com. Cœnobio *Eltensi* facta. HAMERS hodie vocari putem ad *Fossæ Drusianæ* principium, læva in ripa.

XII. HARAGÔ.

HUjus fit mentio in Transactione Epternacensi anni cIↃ LXIII. Situs locorum, quibus jungitur ferè demonstrat, intelligi Agros ad *Aram* rivulum, id est, **Aarland** ad *Rheni* dextram è regione *Albinianorum* seu **Alfen**.

XIII. HARAGUM.

ITa in Inventario Bonorum Traj. scriptum est. In Diplomate Theodorici V. Holl. Com. cIↃ LXXXV. HAREGON. Stokius (e) vocat HAREGAN. Habitatores hodierni HEREGEN. *Kinnemaria* vicus est prope ab *Oceano* & *Kinnemi* vetere Ostio.

(e) In Dideric. II.

XIV. HARALHEM.

HOc nomine est Urbs splendidissima, inter *Hollandicas* dignitate secunda, quod in illam translatum à veteri Arce, jam Busto, peculio quondam cognominis Gentis, laudatissimæ memoriæ, inde à Seculi

ſeculi XI. initio. Tractum videtur à ſicca & ſolidâ humo, quod genus *Haar* & *Harde*, ac per diminutionem *Harel* noſtrates antiquitus vocarunt, & adhuc vocant. Ita ut HAARLHEM liquidò notet *Sedem firmo in ſolo*, non paluſtri aut lubrico, ut pleræque. Urbis dignitatem quis primus intulerit, ipſos hactenus fugit Indigenas, Viros omni eruditionis genere abſolutos.

Antiquiſſima quidem Vocabuli memoria eſt in Vetuſto Inventario Bonorum Trajectenſium, quod ſeculi IX. eſſe, affirmantibus facilè aſſentior: Sed ecquis de hoc Opido dictum aſſeverare auſit? Cùm fuerit Arx & Præfectura vetus, quæ Opido recentiori de ſuo fecerint nomen. Luculentum ſatis teſtimonium de Urbis antiquitate præbet Stokius Rithmographus, certiſſimis uſus documentis; Quòd Principatu Theodorici VI. anno CIƆ CLV. jam fuerit copioſa, valida, munita, inque primis Principi fida. Quòd & Wilhelmo I. Expeditionis in Syriam Duci, ab omnibus Friſiis, etiam qui ultra *Lavicam* ſunt, anno CIƆ CCXVII. ad *Vectim* Inſulam, electo (teſte Groningano Expeditionis Socio apud Emonem) iverint Comites, probatæ virtutis *Harelemenſes*, dubitare nefas eſt: Sed non æque de iis, quæ illiterata Fama, ad *Peluſium* ſeu *Damiatam* ab *Harelemenſibus* geſta vulgavit. Longè certius & illuſtrius teſtimonium eſt Imperatoris Wilhelmi, *Harelemenſium* virtutem & fidem decorantis, immunitatibus & privilegiis ampliſſimis (a) IX. K. Dec. CIƆ CCXLV. Nec parvum decus addit Joannis I. Comitum, Friſici generis, ultimi, Judicium, quo HARLEMUM præ omnibus delegit, quæ languentem ſinu foveret, atque demortui cineres curaret, in æternam memoriamglorioſiſſimæ Familiæ ſecum extinctæ anno CIƆ CCXCIX. (a) Ap. Buchorni.

Situm obtinet Veterum *Marſatiorum* in ſolo, hodiè *Kinnemariorum*, in cujus partem occiduam Prætoriâ quoque utitur poteſtate. *Spernera* rivus, qui nunc vulgò *Spare*, in *Tham* influens ubi obex *Sparendam*, quondam mœnia alluit, jam perluit amplificatam. Abeſt à littore *Oceani* M. P. IV. Ab *Tha* proximâ orâ III. A *Lugduno* & *Rheni* dextra ripa XIV.

XV. HARDENBERGE.

Locus Veteribus celebris. Wilibrandus Epiſcopus ex eo Caſtrum fecit anno CIƆ CCXXVIII. *ex ruinis Sculenburgi, ad munimen & defenſionem Tranſiſalanæ Diœceſeos ſuæ*, teſte Membrana Traj. Aſſidet *Vechtæ* fluvio M. P. VII. infra *Covordiam*.

XVI. HARDERWICH.

Opidum *Feluæ* in ora auſtrali Lacûs *Flevonis*, tranſmarinâ navigatione inclitum celebratur in Litteris (b) Gerhardi *Holſatiæ* Com. & Conſulum de *Hamburch* anno CIƆ CCLXXX. Item *inſignis* (b) Ap. Pontanum. H. G. Lib. VI.

 Uni-

Universitas in Litteris *Daventriensium* anni cIↃ ccxci. Igitur majoris antiquitatis crederem, quàm ferunt Gelriæ Annales, Opidi annum natalitium edentes millesimo ducentesimo trigesimo non majorem. Nominis ratio minimè obscura est: A Veteri situ nempe, ad Sinum longiusculè à Lacu in viridia pascua immissum, Cui vernaculè **Wyk** nomen, & cognomen **Harder** à Pastoriis agris, qui hodie sunt pars Lacûs alluentis ipsa mœnia, patenti, sabuloso & vadoso littore, fundique præduri, quæ & cognominis ratio non ineptè haberi poterit. Licet & WYK Veteribus Germanis appellativum Oppidorum nomen fuisse agnoscendum quoque sit.

XVII. HARGA.

Rivulus est inter *Flardingam* & *Sciedamum*, cui hodie nomen **De Oude** HARC. Theodoricus V. in Diplomate anni cIↃ LXXXIII. alio nomine *Turlede* vocat, & Stokius *Durlede*.

XVIII. HASCHA.

Locus est Præfecturæ cognominis in *Pago Forestensi* seu *VII-Saltuum*. Cujus meminit Scriptor antiquus Actis Sanctorum insertus à Bollandi Sociis, in Vita Dodonis Eremitæ Fundatoris *Clusæ Hascheranæ*, ubi hodie HASSCHER-**Dyk** olim **Hasscher**-*Convent*. M. P. III. *Oldebornæ* ad ortum.

XIX. HAVESCHE.

Ponitur inter *Bocholt* & *Axele* in Litteris Burchardi Episcopi Trajectini anni cIↃ cv. *Hulstani* Territorii est. Unde suspicer esse *Assene* ob soni affinitatem aliquam. Memoratur & HAVESCHE in Inventario Bonorum Trajectensium, sed dubiæ lectionis locus est, in Scriverii enim exemplari legitur *Hamatre*. Licet neutrum ad *Flandriam* pertinere existimem; cùm Inventarium, *Hollandiam* & *Westfrisiam* excedere vix videatur.

XX. HECHISSEL.

Secundum narrationem Werumensis Monachi, qui Abbatum suorum Chronica ulterius produxit; *Fivelingiæ* locus est *Wirdumo* inferior, ad quem *Fivelingii* anno cIↃ CCLXXX. contra morem Majorum, stato licet die, convenêre auctorandis Consulibus; [sic Magistratum annuum vocarunt] sed in partes scissi, aciebus infestis in se invicem irruerunt, maximâ clade Elbonis Senioris de *Hellum* Menaldeæ Gentis. Si vera scriptio, oblitteratum hodie est vocabulum. Originem tamen illi debere putem hodiernum *Eesterecht*.

XXI.

XXI. HECMUNDA.

THeodoricus I. adeptus, ex Patris Gerolfi hæreditate, Comitatum ad littus *Oceani* inter *Rhenum* & *Sutbardesbagam Mosamque*, cui deerant loca quædam Partis occiduæ, ad Dicionem *Hecmundanam* spectantia; Tantâ gratiâ valuit apud Carolum Simplicem Fr. R. anno IↃ CCCCXIII. nuper in possessionem *Lotharingiæ* missum, ut non tantùm hæc reliqua, *Westflinge* Comitatûs nomine, Henrico IV. Imp. decorata, in Diplomate anni CIↃ LXIV. cis *Rhenum* obtinuerit regali dono, sed omne illud, quod trans *Rhenum* est, ad *Kinnemum* rivum, quem *Frisiis* novum terminum posuit Carolus M. Regis Proavus: Ipsam etiam HECMUNDAM. Ubi mox Monasterium condidit Virginum Sanctimonialium, à filio conversum in Monachale Benedictinorum, atque in eo Monumentum sibi & suis. Cui & Abbatiæ dignitas posteà accessit. Superest etiam in vicinia, Egmondanæ Gentis Castrum pervetustum, dictum vulgò 't Hof / id est, *Aula*. Fit & Ecclesiæ hujus mentio in Transactione inter Trajectensem & Epternacensem Præsulem CIↃ LXIII. Item in Diplomate Theodorici V. anni CIↃ LXXXIII. EGMUNDÆ nomine, Quod quidam interpretantur *Angustum Ostium*; cujus tamen, uti nec alvei, qui eò duxit, vel minimum apparet vestigium, immò ne indicium quidem apud Veterum quemquam. Fortè HÆC MUNDA [quid vetat ludere in levioribus? quod nec Viros summos puduit] ECCLESIA dicta fuit à Primis ejus Sacerdotibus, quâdam sanctitatis affectatione ante alias. Extat hodie M. P. III. ab *Alcmaria*, IJ. à Littore *Oceani*, sub ipsis arenariis collibus, quos Dunen vocamus.

XXII. HEYDENZEE.

APud unum Stokium (a) hoc repetitur nomen, tributum Sinui novo, quem, inter Citeriorem & Ulteriorem *Frisiam*, scriptionis suæ tempore, facere cœperat *Oceanus*; de quo ita ad annum CIↃ CCV.

(a) In Wilhel. II.

Willem haer [Adæ] Oom heest vervvoʒven
't Lant van di Oesten HEYDENZEE,
Tote Tabeke voert mee.

Per prolepsin verò sic locutum fuisse, manifestum est ex illis, quæ paullo supra retulit; Hunc ipsum nempe Principem ex Ulteriore *Frisia*, in Citeriorem, & quidem ad *Zipam Oceano* proximam, in equo advolasse. Certissimo argumento, ne *Wringiam* quidem tunc temporis Insulam fuisse. Quod nonnullis, insignibus etiam Viris, minus perpensè affirmatum vidi. Quæ Rithmographo impositi nominis ratio

 fuerit,

fuerit, divinare quam definire tutius est. A vero abhorrere non videtur, proximè *Oceanum*, spaciosum campum fuisse, subtùs paluſtris soli, in superficie ericæ multæ feracem, vernaculè **Een Heyde** / Qui subteriore uligine fluctibus dilutâ subductâque, Pelago cessit primus; atque interni Maris speciem exhibuit, ubi pridem *Ericetum*. Hoc autem contigisse, sub finem vitæ ejusdem Wilhelmi I. minime dubium esse poterit; gravissimo in primis P. Marcelli diluvio, post aliud superioris hiemis, hisce terris immisso XVII. K. Febr. cIↃ CCXIX. Et mox sequente anno, longiùs proserpsisse malum, repetitâ eluvione; Tertium quidem circa Epiphaniorum solenne. Quartum d. VI. K. Martii. Quintum deinde XVI. K. Octobris cIↃ CCXXI. Sextum denique d. V. Eid. Jan. cIↃ CCXXII. Qui Wilhelmo dierum propè ultimus; sed necdum Populo harum miseriarum; post modicam quietem rursùm & identidem superfuso terris Oceano XV. K. Nov. cIↃ CCXLVI. XIII. K. Decemb. cIↃ CCXLVIII. VI. K. Jan. cIↃ CCXLIX. & Prid. Idus Febr. cIↃ CCL. Quorum omnium numero X. testes in primis fidi sunt Abbates Werumenses, infelicitatis illorum temporum participes. Quo usque verò hi furores quasi conjurati *Oceanum* in terras intulerunt? Æquali nulli indicatum comperi. *Medemblecâ* longiùs tamen se insinuasse, jam Florentii V. Principatû, apertum est ex Stokio, narrante; Illum classe in ancoris stetisse ad dictam Urbem, promovendæ Castelli constructioni. Item, Mare ad *Medemblecam* fuisse congelatum, post obsidionem à Joanne Hannonio solutam cIↃ CCXCVII. *Stauriæ* quoque, hoc ipso seculo, Mare ad austrum fuisse; Navalis Expeditio, illam in Urbem, non adeo multos post annos, à Wilhelmo IV. infeliciter suscepta, haut leve indicium facit; secundum narrationem Bekæ ([a]). Idque effectum reor, duobus ingentibus illis diluviis Anno cIↃ CCLXXXII. paucos intra dies repetitis; de quibus Stokius. Seculi XIV. demùm est, perruptio in Lacum *Flevonem*. Sub ejus initium enim, Isthmum adhuc inter utrumque fuisse, quo *Frisia* Citerior Stauriæ Comitatui cohæsit, solo *Islæ* alveolo, saltu pænè superabili, divisa, ex Annalibus Monasticis constat. Hodie, ignoto Antiquis Sinui, nomen est ab Ostiis, anteà jam nimium patefactis, quæ Oceanum tantâ rabie admiserunt; **Vlie-stroom** nempe & **'T Yssel-** seu **Tessel-stroom** / quibus *Flevi* & *Islæ* æstuaria significantur.

(a) In Joan. IV.

XXIII. HEILEGELÔ.

Sacrum Excelsum latinè rectè vertitur. Fuit una ex V. Matribus Ecclesiis, secundùm Transactionem, cum Epternacensi Abbate ab Episcopo Trajectino pactam anno cIↃ LXIII. In Diplomate Theodorici V. anni cIↃ LXXXIII. HEILGALO. Stokio ([b]) HEILIGLOE. Bekæ ([c]) HEILIGELO & HEYLO, quô & hodie vulgus utitur. Abest *Alcmaria* M. P. II. ad occidentem.

(b) In Dider. II. & Flor. V.
(c) In S. Willebr. & Joan. I.

XXIV. HEILIGERLEE.

LOcum factum edito in solo significat uti & *Heiligelö* in *Kinnemariis*. Virginum Sanctimonialium quondam Cœnobium cum Fano, in *Veteri Præfectura, Sheldwaldâ* huc transductarum, ætate Emonis Werumensis. Superest veteris Ædificii pars sublimior, quod rarum his terris. Hodiè insignis Coloni domicilium, superiori seculo, primo in Hispanos boni ominis prælio nobilitatum. Abest ab Urbe *Groningâ* M. P. XVII. in ortum australem. Vulgò HILLEGERLEE.

XXV. HEIMENRODE.

RHenolandiæ, ni fallor, Monâsterium fuit, de quo Fabula Crucis aureæ cœlo delapsæ in manus Cœnobitæ quondam Athletæ. Quam Uxor Wilhelmi I. Holl. Com. mox transtulit à Monachis ad Virgines Rinsburgenses anno CIↃ CCXVII. narrante Bekâ (*). (*) In Ottone II.

XXVI. HELIKAUREL.

ITa Otto III. anno IↃ CCCCXCVI. Apud Lotharium II Imper. anno CIↃ CXXXIV. est Heilekanderls. Compositum vocabulum mihi esse videtur ex Heilig & voce alia subjectâ, forte Kappel. Sunt enim Loca duo in Comitatu *Zutfaniæ* veteris *Isalæ* alveo tantum distincta, quibus nomen Keppel; Quorum alteri, in Sanctimonialium Virginum Altinensium peculio, Heilig vel Sancti agnomen facile accedere potuit.

XXVII. HELLERE.

MAnsos V. hoc in loco possedisse Ecclesiam Trajectinam, Inventario Bonorum insertum est. Scriverius legit HELNERE. Extat, ægrè à fluctibus superstes, in perangusto promontorio *Hollandiæ*, inter *Oceanum* & *Marsatiorum* Emissarium quondam, hodie Fretum & Ostium patens. Vulgò Mars-Diep & Nieuwe-Diep.

XXVIII. HELLEWICH.

VIcus *Zutfaniæ* inter Burg & Brefoort / qui dono datus Ecclesiæ *Trajectinæ* anno IↃ CCCXXVIII. Hodie HEELWEG, id est, Via sacra.

XXIX. HELLUM.

Fivelingiorum Vicus est in *Silvis australibus*, nomen hodieque custodiens; sub seculi XIII. finem in Menaldæorum potestate; tradente Menconis Continuatore. Abest ab Urbe in ortum M. P. X.

XXX. HEMEZENKIRECA.

NUmeratur inter loca, de quibus transactum inter Episcopum Tr. & Præsulem Epternacensem anno CIↃ LXIII. Hodie HEEMSKERKE M. D. passibus *Beverovico* ad ortum. Stokius (*) omissa aspiratione scripsit Cemskerk.

(*) In Dider. II.

XXXI. HEMMENIS.

PArochia vocatur Continuatori Menconis, *Sloctbra* & *Skeldwalda* vicina, quibuscum sustinebat, anno CIↃ CCXCI. in se nihil juris esse Decanis Loppeshemiis. Per HEMMEN hîc indicari utrumque HAM, COLHAM nempe & FOXHAM satis intelligitur ex situ, qui est ad VIII. ab Urbe lapidem in ortum hibernum M. P. II. à *Sloctbra*.

XXXII. HEMSCHEN.

PRœlii locus in *Trenta* finibus, quo Otto Palatinus Benthemensis Castellanus victus & captus Episcopo Trajectino fidem jurare debuit. Beka in Heriberto. ad annum CIↃ CXXXVIII.

XXXIII. HEMSTEDE.

LOcus inter ablata *Hollandis*, & reddita *Trajectinis* ab Henrico IV. Imper. in Diplomate anni CIↃ LXIV. Theodorico V. in Diplomate anni CIↃ LXXXIII. scribitur totidem litteris. Hodie, E geminatô, retinet nomen Vicus, cum Arce Gentis olim cognominis M. P. II. ab Urbe *Haarlhemo* ad occasum.

XXXIV. HEMUS.

FLuviolus est; non longè veniens, qui *Amisfordium* perfluit, atque haut procul in *Lacum Flevonem* transit. Hodie De Eem vocatur, à quo locis plurimis agnominatio. Carolus M. ejus meminit in Diplomate anni IↃ CCLXXVI.

Digitized by Google

XXXV. HENGELÔ.

HErmannus Com. *de Loen* hujus Beneficiarius factus est Comiti *Gelriæ* anno cIↃ CCLV. adducente Codicillos Pontano (a). Extat eodem nomine in *Tuenta* inter Delden & *Aldesalam*.

(a) Hist. Gelr. Lib. VI.

XXXVI. HENGESTSCHOTE.

LOcus in Silva, [*Forestam* vocant Litteræ Donationis à Carolo M. anno IↃ CCLXXVI. factæ Albrico Episcopo] non ita procul ab *Hemi* fl. ortu, hodie EESCHOTEN ni fallor. Buchelius interpretatur Hunschoten ad oram Lacûs.

XXXVII. HERA.

HUnc locum in Antidorum recepit Rotgarius Comes ab Episcopo Alfrido seu Alfrico utendum fruendum dum viveret anno IↃ CCCXXXVIII. Est hodie Vicus M. P. V. infra *Trajectum* ad Rhenum; Cui nomen *Hermelen*, quem designari putem. Est & *Herà Kinnemariæ* ad Abbatem Hecmundanum quondam pertinens. Quam Stokius non HERAM, cum Diplomate Theodorici V. anni cIↃ LXXXIII. vocat; sed *Arem*, Nos hodie acerrimo spiritû *Archem* seu *Arcum*. Arx est à Beverovico in ortum proxima.

XXXVIII. HERFELT.

ZUtfaniæ Vicus. M. P. IV. à *Grolla* in Austrum, cujus pars media *Eltensi* Cœnobio, Wichmanni Com. dono, cessit, auctoritate Ottonis III. IↃ CCCCXCVI. & Lotharii II. cIↃ CXXXIV. Est & vicus *Bathua* Superioris eodem vocabulo.

XXXIX. HERISPICH.

LOcus est in dextra *Rheni* divortientis ripa, hodie partem nominis postremam SPIC retinens, ad quem Caroli Crassi Legatis à *Noviomago* obviam processit Godefridus Normannus, in miserabiles *Frisios* Tyrannidem immanem tunc obtinens, atque ab his ipsis Legatis sacrosancto Legatorum jure abutentibus, obtruncatus est. Narrante Reginone ad annum IↃ CCCLXXXV.

XL. HERLINGE.

INter *Frisiæ Orientalis* Opida recensetur Membranæ Trajectinæ Scriptori ad annum cIↃ CCXXVII. Et quidem loco medio inter *Stauriam* & *Lywart* seu *Leovardiam*: Non, quòd dignitate prior ante hanc;

hanc; ſed aditu, iter à *Stauria*, per *Friſiæ* Civitates, *Groningam* facientibus, quale Author deſcribit. HARNS ei Friſicum nomen eſt, à ſitu inditum in prominenti angulo ad *Bornedam* quondam Sinum & *Mare Vadoſum*. *Weſtergoæ* Urbs eſt, hodie, poſt Metropolim, totius Regionis maxima & Mercatoribus frequentiſſima ditiſſimaque, licet ordine VI. Abeſt à *Franekera* ad occaſum M. P. IV.

XLI. HERO.

(a) Ap. Hedam. POnitur quidem *infra* Comitatum *Teiſterbantiæ* in Donationis Tabulis ([a]) anni Iↄ cccc XCVII. Sed intelligendum eſſe *intra*, ſatis evincitur ex ſequentibus, ubi & Villa *Trile infra* prædicti Comitatus terminos collocatur, quæ palam, in ipſo *Teiſterbantenſi* pago eſt, teſte Anfrido Epiſcopo *Teiſterbantiæ* Com. in litteris anni cIↄ VI. Non admodum ambigendum eſt, quin deſignetur Vicus HERWEN in *Bomlrewert* ad *Vahalim*, vix longiùs M. P. II. à *Trile* ſeu Tziel.

XLII. HEROVINA.

NOminis ſono ſatis proditur eſſe HERWYN. Vicum *Tilenſis Werthe* ad *Vahalim* proximè infrà *Hallovinam*, eâdem donatione anni Iↄ CCCL. Eccleſiæ *Trajectinæ* collatum.

XLIII. HERSINGE.

LOcus *Groningæ* vicinus, præ aliis, armentis dives, uti ex Charta Werdenſi colligitur. Unde *Harſſens* indicari conjicio, qui & *Herſinze* in vetuſto Diplomate ([b]). Vicus eſt in *Hunſingiis* cum Capella, ita genus Fani vocabant mediæ dignationis inter Altare & Eccleſiam. Abeſt ab Urbe M. P. III. exiguis.

(b) Ap. Emmium. Rer. Friſ. XIV.

XLIV. HESEWYCK.

JUriſdictio, id eſt, Judicis territorium, vocatur, quod eſt juxta *Montfoort*, in litteris Wilhelmi I. Holl. Com. anni cIↄ CCIV ([c]) & aliis Ludovici Loſſenſis, ejuſdem anni. Intercidit hac propter nomen.

(c) Ap. Hedam in Theod. II.

XLV HESIS FLEHITÆ.

VIlla ruſtica, vel Vicus Inferioris Diœceſeos Tr. intra *Rhenum* hoc nomine deſcribitur Hedæ ex Tabulis anni Iↄ CCCXXXVIII. eo tractu ubi Zeyſt & Leusden. Conſentiente alio Diplomate Anfridi Epiſcopi, anni cIↄ VI. quo HESE haut longè ponitur ab *Hôborſtat* & *Sous*, ejuſdem tractus locis. Num hodie hac circum extet nomen? me latet hactenus. Sunt tamen paludes, quibus EESE appellatio,

eo

Digitized by Google

eo tractû, quô & Carolo M. memoratur FORNHESE, non procul ab *Hemi* ortu.

XLVI. HESIS ZUTFANIÆ.

PLurima passim hujus nominis loca sunt. Hic in Comitatu *Zutfaniensi* est. Alius à *Westrehesi* in Pago *Leomerike*, in villa *Duictingen* seu *Deutichem*; utpote qui anno IↃCCCXXXVIII. Alfrico Episcopo cessit ex Donatione Rotgarii Comitis; atque hic noster HESIS ad Villam *Langhare* pertinens, jam decennio prius Frederico Decessori, largitate Gerowaldi. Crederem igitur Broek-Hees designari, inter Hetteberg & *Embrici Villam*.

XLVII. HESOLA.

VIcus est in *Tielrewert* ad *Vahalim* M. P. V. infra *Tilam* HESSEL hodie dictus. Cujus reditus, unà cum aliis nonullis Ludgerus Episcopus Baldrico Viro nobili assignavit, ne largitionibus exhaustus esuriret, Anno IↃ CCCL.

XLVIII. HEUKELUM.

PArs territorii, quod Arculani Dynastæ ex *Teisterbantiæ* Comitatu obtinuerunt, ejusdem sortis cum *Gorichemo* J. Is. Pontanus (*) Joannem VI. Arculanum, qui cum Ottone II. Episcopo Tr. in palude *Anen* cæsus est V. K. Aug. CIↃ CCXXVII. secundum Emonem Werumensem, Heukelemensis Arcis Conditorem facit. Opidulum hodie, nullis Arcis reliquiis, ad lævam *Lingiæ* ripam, M. P. III. supra *Gorichemum*.

(*) Hist. Gelr. Lib. VII.

XLIX. HEUSDA.

ANtiquitus *Teisterbantiæ* Comitatûs pars, quam Minor natu filius ex paterna hæreditate erctam anno IↃ CCCL. ad seros transmisit Nepotes, atque Agnati *Clivienses*, his extinctis, concesserunt *Hollandis* anno CIↃ CXC. Contranitente Brabantino. Qui ad hoc ipsum Opidum HUESDEN (sic Veterum scriptio ferebat) Theodoricum VII. Holl. Com. prælio vicit & captivum abduxit. CIↃ CXCIX. narrante Stokio & post illum omnibus. Situ olim fuit ad Veteris *Mosæ* lævam, hodie ad Sinulum novi M. D. passibus ab ipso alveo. IX. supra *Gorichemum*: *Hollandiæ* Municipium non contemnendum.

L. HOFFLA.

Recensetur in Diplomate Ottonis I. anni Iↄ ccccLxx. inter dona Wichmanni Comitis Cœnobio *Eltensi* oblata. Videtur indicari HOEVEN Vicus seu Arx propè à *Rheni* secundo Divortio, dextrâ ripâ.

LI. HOGE.

Altare vocatur, id est, paucarum familiarum Ecclesiola, quibus Sacerdos pæne domesticus, cui Altaristæ nomen. *Buesichemensi* Ecclesiæ subfuit secundùm litteras Andreæ Episcopi cIↄ cxxxI.

LII. HOGEWOERT.

(a) In Joanne II. Sic vocatur Stokio (a) Locus *Trajecti* suburbanus campestri in planitie hodie satis cognitus. Ubi Episcopus Wilhelmus à Trajectinis prœlio victus occubuit cIↄ ccci.

LIII. HOHORSTA.

Coenobium fuit Monachorum Benedictinorum cum *Cellula*, ab Anfrido Episcopo Trajectensi conditum in Monte, unde agnomen *Hô*, id est, Hoog; atque liberaliter dotatum anno cIↄ vI. Manet hodie Prædio & Colli nomen De Hoorst / solum aridius & editius significans, uti Haar & Harde vel etiam Lo & Lee. Situ inter *Amisfordiam* & *Flevonem*.

LIV. HOLLANDIA.

Seculum est, dum hæc scribimus, ex quô HOLLANDIÆ nomen utrumque ferit Polum, atque per Orientem & Occidentem circumfertur in orbem; recens licet, & diu post *Christianum*, in *Batavis* & *Frisiis*, natum. De hac Regione ut curatiùs & pleniùs dicatur, poscit ejus celebritas quam nulla venturi temporis vetustas, abolebit unquam, quantumvis invidiosa.

Postquam *Francos*, qui à littore *Oceani Germanici* exiêre occupatum Imperii Rom. Provincias, diu Galliarum potitos, atque Christianâ sacra amplexos subiit miseratio Veterum Aboriginum, densissimis in tenebris vitam degentium, uno tunc *Frisiorum* nomine in *Scaldim* & ultrà. Seriô illi cogitare cœperunt, quî accensam pridem ab *Anglis*, at mox restinctam, Euangelii facem, cognatæ Genti inextinguibilem prælucerent. Huic autem sanctissimo studio, cùm summis

mis viribus obniterentur, qui in Populo Principatum obtinebant, trucidatis crudeliter Doctoribus Francorum Clientibus: Id scelus ultum venit Pipinus Pro Rege, atque, post hunc Carolus filius, Pipinus Nepos, Carolus Magnus Pronepos, donec *Frisios* omni potestate exuerint in terras, quæ ad Occidentem sunt *Kinnemo* rivo; Rep. eorum noviter ordinatâ, secundum Libertatem, seorsùm à reliquis ultra degentibus. Quibus Libertas illibata relicta & asserta; sed non ante, quàm fidem suam obligarant; de Euangelii cursu non ampliùs sistendo, atque secundum hoc quandam Reip. mutationem receperant à Carolo M. Qui, hisce ità constitutis, omnem Regionem in plurimas divisit Diœceses, juris dicundi ergò; Et vel maximè illam, in quam sibi omnem potestatem sumserat cis *Kinnemum*. Quia verò, qui in his Judicantis officio fungebantur, ferè ex comitatu Imperatoris erant, *Comitis* nomen Judicum appellativum vulgò habitum fuit: Atque transiit ad illos, quibus posteà perpetua ejus functio tributa, hæreditario jure. Atqui ab hoc instituto, alibi vetere, hîc novo, omnium Comitatuum origo est, adeoque & nostræ HOLLANDIÆ.

Primus Frisiorum Comitum, quorum fidem sibi perpetuò obligarunt Imperatores, continuatâ potestate, auctisque possessionibus, fuit GEROLFUS, quem Gothofredus Normannus, *Frisiam* ex Pacto Caroli Crassi Imperatoris detinens, Comitatui cuidam in *Caninefatibus* Præfectum invenit, vel fecit: atque apud eundem Carolum anno IↃ CCC LXXXV. Legationem illam obire jussit, quam sibi internecivam mox expertus est; quorum testis est Regino (a) Æqualis & pæne oculatus. Huic verò Gerolfo, à Gothofredi Domini sui cæde, perpetuo clientelari jure cessisse, ipsius Augusti beneficiô illum Comitatum, cui hactenus Comes seu Judex temporarius præfuerat, satis arguunt Tabulæ Arnulfi, qui Crassi Patrui excepit Imperium, datæ Principatus sui initio, quo beneficia renovari moris est, anno secundo nempe, qui Æræ Christi IↃ CCC LXXXIX. utpote quibus testatum facit; Se Gerolfo Comiti jam antea *Fideli*, id est, Vasallo Imperatoris Caroli Crassi, non primò contulisse Beneficiarium Comitatum jure hæreditario; sed nova tantùm beneficia intra ejusdem fines. Est igitur Carolus Crassus Magni Nepotum potentissimus Imperator, cui Principatus, post alterum seculum, HOLLANDIÆ nomine celebrari cœptus, sua debet primordia, longissimè ab anno Christi IↃ CCCLXXXV.

(a) Ad annum 885.

In Gerolfi Comitatum, ad littus *Oceani* à *Mosâ* pæne ad *Rhenum*, successit THEODORICUS, quem ejus filium fuisse non temerè conjectat Vir Ill. Janus Douza (b); Ex eô, quòd Theodoricus V. Atnepos in Diplomate anni CIↃ LXXXIII. huic Atavo suo fratrem dat *Walgerum*; & Regino (c) Prumiensis Gerolfo filium *Waltgarium* Eberhardi Ducis cæde infamem. Hoc interim certum, Theodoricum I. amplificasse veteris Dicionis fines, novo augmento, secundum littus, ultra *Rhenum*, usque *Hecmundam* & *Kinnemum*, Quod

(b) Annal. Bat. VIII. pr.

(c) Ad annum 8...

largitione sua adjecit Rex alter Carolus, Crassô, uti ex modo dictis liquet, posterior, & tanto magis Calvô, cui, per summam oscitantiam, ne dicam pudendam, ante Magnum Ubbonem nostrum ([a]), hujus Comitatus natales tribuerunt omnes Stokium Rithmographum temerè secuti; dedignatique ad examen revocare Tabularum numeros, tot nominibus corruptelæ manifestos. Quæ vel primâ fronte statim apparuisset; perpensô, quòd Calvo ceu Neustriæ & Aquitaniæ Regi, nullum omnino jus in *Frisiam* fuerit, nisi post mortem Lotharii Regis seu annum Iↄ CCCLXVIII. atque tunc in *Cismosanam* tantùm, in *Transmosanam* nullo unquam tempore, docente Aimoïno ([b]). Id quòd jam Hedæ ([c]) dubium injecit. Carolus itaque Simplex hujus Largitionis Auctor est indubitatissimus, Haganone Comite Suffragatore, (uti in ipsis tabulis) gratiâ scilicet tunc florente, secundum Flodoardum, & Urspergensem. Idque mox post devolutam ad se *Lotharingiam* Transmosanam, morte filiorum Arnulfi Imp. Quo tempore vel summæ prudentiæ fuit; beneficiis sibi devincire novi Regni Proceres, in primis Limitaneos, quorum de numero Theodoricus, cui Littoris commissa tutela. Secundum hæc solerter admodum Nobilissimus Douza ([d]), sic nobis restituit numeros, ut loco DCCCLXIII. id est, 863. reponantur hi DCCCCXIII. id est, 913. Ex quo, unius apicis adjectione, surgit ipsissimus annus adeptæ Simplici *Lotharingiæ* possessionis. Gottefr. Wendelinus ad L L. Salicas, insuper denarium unum addit, & legi debere contendit DCCCCXXIII. XVII. K. Julias, propter Rotgerum Archiepiscopum & Cancellarium in Tabulis nominatum, quia eo nomine nullus in Cathedra Treverensi sedit anno DCCCLXIII. neque DCCCCXIII. sed anno DCCCCXXIII. Quasi Galliæ Reges non nisi Treviro usi fuerint Cancellario, exemplis infinitis diversum docentibus. Parùm solidus igitur hic novus character etiam hinc erroris manifestus; quòd Carolus Simplex anno DCCCCXXIII. d. XVII. K. Julias non fuerit in *Menapiis* Pacis negotia tractans; sed in *Suessonibus*, acri prælio decertans, cum Roberto Antirege, quem, eo ipso die, sua manu confodisse fertur Prumiensi.

Theodoricus autem Successorem habuit filium cognominem, cui & ipsi obtigit nova accessio, ad Occidentem *Mosæ*, ipso nomine WASDA, id est, Westdeel / indicium faciente, ex liberalitate Regis, cui in *Cismosanam Lotharingiam* suprema fuit potestas. In Diplomate ([e]) corrupta esse, tum nomen, tum annum, nemo, cui pectus sapit, inficias ibit. Et adsunt characteres duo, si hactenus Tabulas sinceras reputare liceat, qui perfacile utrumque ex vero demonstrabunt. Prior est, Hemma Regia Conjux. Alter, annus Regni XVI. junctus cum Indictione XII. Qui *Germaniæ* aut *Lotharingiæ* præfuerunt ex Caroli Magni posteris & *Hemmam* Conjugem habuêre, Duo omninò reperiuntur, Ludovicus Germanicus Pii filius, & Lotharius Franciæ Rex hujus nominis unicus & Carolinorum penultimus. At Prio-

(a) Hist. Fris. V.

(b) Hist. Fran. V, 25.

(c) In Hung. Episcopo.

(d) Holl. Ann. Lib. V.

(e) Ap. Douzam. Holl. Ann. Lib. V.

Prioris annus XVI. qui iniit XXII. Maji DCCCLIV. Indictionem II. & III. habuit comitem, minimè XII^mam aut XV^tam uti diversimodè ex Tabulis transsumptum est. Posterioris verò annus XVI. qui Chr. DCCCCLXIX. rectissimè jungitur cum nota Indictionis XII. adeoque XV. cum Indictione XI. qui Christi DCCCCLXVIII. Ex quibus abundè perspicuum existimem, quòd in Authentico fuerit scriptum LOTHARIUS; non LOTHOWICUS; cùm etiam nemo illorum temporum, ad hunc modum *Ludovici* nomen usquam scripserit: Quòdque in anni nùmeris, per Librarii oscitantiam vel festinationem, nil nisi C. unum fuerit omissum, atque exaratum DCCCLXVIII. pro DCCCCLXVIII. familiari & excusabili vitio. De *Hemma* satis constat, illam Regi, jam tum ante biennium, connubio fuisse junctam. Ambigendi itaque ratio nulla est, quin Lotharius fuerit alter ille THEODORICI II. Euergetes. Cœterum extinctâ Caroli M. progenie regnatrice, cui offirmatum compererat Theodoricus; *Frisiis* trans *Kinnemum* inconcussa servare *Magni* Progenitoris privilegia. Tempus adesse ratus, illorum etiam Dicioni aliquid decerpendi, largitione Imperatorum alterius Gentis, cui Caroli M. instituta non æquè sacra. Aggreditur itaque Theophaniam Augustam, cujus sororem Arnulfo filio pridem conciliaverat conjugem, atque eò facile adducit, ut filio Ottoni III. Imperatori juvenculo, Matris Imperia ferre nondum desueto, Auctor fieret; reliquum littoris, quod inter *Kinnemum* & *Flevum* est, suæ etiam fidei committendi. Atque hac subreptitia arte, à Principe largitionibus prodigo, pœnè sub ipsa Imperii auspicia, (capta scilicet ineunte anno IↃ CCCCLXXXIV. secundum Lamb. Schafnaburgensem & Veterum alios, minimè, uti malè exscriptum in Rithmographo contra ejus mentem, anno IↃ CCCCXCII.) obtinuit Jus Fiduciarium in tres Comitatus littorales, & terras quasdam alias inter Aviti Comitatus fines & *Hislam* fl., unà cum *Sunnemere*. Cujus quidem, Tabulæ non extant; sed ipsum Imperatoris testimonium in posterioribus litteris, quibus eadem omnia in Theodoricum transfert jure optimo maximo, quæ ptidem fiduciariò concesserat; per summam injuriam & pessimo exemplo ad Posteros, quantum *Transkinnemanos* attinet. Signatæ sunt Tabulæ anno Christi IↃ CCCCLXXXV. alterô post susceptum ab Ottone Imperium, teste Stokio (a), itemque alterô ante grandævi Comitis excessum è vivis. Quæ verissimæ faces belli ferè continui, inter hosce maritimi limitis Principes, quos Marchiones vocat Herm. Contractus, & *Frisios* Liberos, per tot secula gesti, nec confecti, nisi ab hujus Generis marium ultimo, Joanne. (a) In Theod. II.

ARNULFUS Theodorici filius & Successor, hæc donata nanscisci satagens vitam profudit. Traditur tamen Paternæ hæreditati adjecisse ex Maternâ, in *Flandria Wasiam* terram, cum vicinis Præfecturis IV. addit quinetiam plura Matt. Vossius (b). (b) Ann. Holl. I.

Arnulfi verò filius THEODORICUS III. jure belli suos

M 3 fecit

fecit Comitatus IV. in *Batavis*, potissimùm ex *Teisterbantiæ* nuper discerptæ laciniis, quas sibi deberi pertendit Episcopus Traj. ex testamento Anfridi ultimi Comitis & Episcopi Traj. astipulantibus Imperatoribus, uti videre est, ex iis, quæ Beka ([a]) & Henricus IV. Imp. in Diplomate VI. Nonas Maji CIↃ LXIV. narrant.

([a]) In Anfrido.

THEODORICUS IV. armis tutari conatus à Patre noviter quæsita, Sicarii manu victor oppressus est, anno CIↃ XLVIII.

Hujus Frater & Successor FLORENTIUS operæ multum impendit Ottonianis largitionibus potiundis. Ad Occidentem verò latè victor, nimium securus vita & victoria exuitur CIↃ LXI.

Post hos THEODORICUS V. F. F. longissimè in *Frisios* penetravit, propè à *Flevo*. Atque omnium Primus HOLLANDIÆ titulum, ceu Provinciæ armis in potestatem redactæ, more Veterum Impp. suis Diplomatis præscripsit: Simul ac ablata à Cæsare Henrico III. unà cum usurpatis à Duce Gibboso cumulatius recepit, cum integro illo Pago, Trajectensi Episcopo pridem, sc. CIↃ LXIV. per Henricum IV. asserto. Cui etiam hodie, arcta significatione, additaque plagæ designatione ZUYT-HOLLANDIÆ vocabulum tribuitur. Sub illo tandem nomine, omnia in unam Civitatem complectens, quæ in suâ potestate inter *Mosam* & *Kinnemum*; *Oceano* frontem; *Trajectinâ* Dicione cum exiguo *Gelriæ* tractu tergum tegentibus. Eo, haud dubiè, consilio, ut imposterum esset distinctio nominum, inter hanc Veterem, & Novam Civitatem, quam in *Frisiis* trans *Kinnemum*, suam facere moliebatur. Quia verò hæc *Zuithollandia* strictè dicta, ad inferiorem *Vahalis* alveum sita, cui HELII cognomen à Plinio additum, maximè vero consentaneum est; quod ab amne, uti fieri solet, agnominata fuerit adjacens regiuncula, atque appellata, variante dialecto, HOLLANDIA, & HELLANDIA, id est, Ager ad HELIUM: Cum ejusdem originis & significatûs sit HOL & HEL secundum ea, quæ Parte I. jam occupavimus. Lepidæ allusiones sunt, quæ à cavitate terræ, vel Silvestri tractu, accersuntur, ceu faciundæ distinctionis à circumjectis, ineptissimæ. Veteres tamen putasse; Silvis deberi originem, iteratâ sæpiùs HOLTLANDIÆ scriptione, ipsi liquidò prodiderunt: Sed simul significarunt; non esse vocabulum nuper à *Normannis* ex HALLANDIA allatum: Quod utique ignorasse neutiquam poterant illorum temporum æquales & proximi. De Olennio Primipilari Rom. quantulo homine! quod quidam commenti sunt, nimis absurdum est; cùm ille non *Batavis*, ne quidem *Frisiis*, qui in ipso *Rheno* sunt; sed *Transflevanis* præfuerit, atque apud hos etiam, nil nisi nominis sui infamiam reliquerit. Satis de nomine, expediundum quod restat de progressu.

FLORENTIUS II. qui Theodorici V. Patris Principatum accepit, jam tum potentissimus ([b]), ductâ sorore Lotharii posteà Impe-

([b]) Stokius in Florent. II.

Imperatoris, THEODORICO VI. filio facilem viam paravit, denuò augendæ potentiæ, Avunculi Cæsaris propensa voluntate. Qui & illum donavit *Oostergoæ* & *Westergoæ* non exiguis Comitatibus inter *Flevum* & *Lavicam*, irritâ factâ donatione Henrici IV. qui eosdem, ex publicatis Egberti usurpatoris bonis, Trajectino Præsuli tribuerat, anno Christi cIↃ LXXXVI. [a] quasi Egberti non fuerint, sed ad Theodoricum V. à morte Hostis sui Gothofredi Gibbosi, anterioris Usurpatoris, jure quodam belli, devoluti. Et licet hæc Lotharii II. donatio, omnium Imperii Principum consensu firmata fuerit anno cIↃ CXXV. induxit tamen illam vicissim Conradus III. Imper. [b] anno cIↃ CXLV. restitutâ priore Avunculi sui Henrici IV. Sic Avum Maternum vocat.

(a) Ap. Hedam in Conrado.

(b) Ap. Hedam in Heriberto.

FLORENTIUS III. Sexti TH. F. reciprocavit de his contentionis serram cum Episcopo, quam tandem quiescere fecit suo interventu Fridericus I. Imper. anno cIↃ CLXVI. Atque sic lusum de alieno corio.

Sub THEODORICO VII. F. F. ejusque Filia ADA, augmenti nihil accessit.

WILHELMUS F. F. alter & post illum FLORENTIUS IV. filius HOLLANDIAM cum *Zelandia* pacatè possidentes, *Frisios* etiàm Orientales habuêre obsequentes. *Occidentalibus* antiquum obtinentibus.

WILHELMUS II. Quarti F. F. Imperatoria tandem Majestate auctus, atque illâ indignum ratus; ultrà ferre indomitam pertinaciam *Occidentalium Frisiorum*, incautus in illos invehitur & obtruncatur.

Hujus dein Filius FLORENTIUS V. non sine gloria regnans, post multa in Frisios excitata castella, conjuratâ suorum manu nefariè trucidatur.

JOANNES denique F. F. Frisici generis Comitum ultimus, non ante Familiæ suæ, per annos CCCCXIV. florentissimæ finem fecit, quam, confecto bello cum *Frisiis Occiduis* per tria secula gestô, illos suam in fidem receperat, pari cum *Hollandis* jure, immò participatâ Civitate. Quæ & hodie ambobus communis; eâ quam initio diximus celebritate. Excessit Joannes è vita, teste Beka [c] anno Christi cIↃ CCXCIX. IV. K. Nov. adeoque sub seculi finem, quem & nobis terminum posuimus. Quia sequentia non admodum egeant interprete, nacta ferè Authores redivivæ humanitatis, quam deinceps ad præsentia tempora, Viri Summi in priscam pæne sublimitatem evexerunt.

(c) In Wilh. II.

Solum Regioni non adeo felix suo ingenio; sed exquisitissimâ culturâ felicissimis comparandum. Rivi, Fluvii, Sinus, Portus, Oceanus immensarum divitiarum & incredibilis opulentiæ fontes sunt. Qui, ut perpetuò & copiosè scaturiant, caussæ potissimæ sunt, singularis Liber-

Digitized by Google

Libertas, & industria frugalisque assiduitas Populi, Palàm benigni Numinis munera, quibus quæsitus Mercaturæ principatus facile retinebitur; modò non decedat lucro DEI faventissimi reverentia, in qua omnis salus vertitur.

Loca singularia, quorum in Diplomatis mentio, suo quæque ordine pertractata, heic prætereunda duxi, inde repetenda.

LV. HOLTREKA.

IN Diplomate Henrici IV. CIↃ LXIV. ita apud Hedam legitur. In alio exemplari HOLTERO. Vocatur autem *Curtile*, ad quod proventus plurimi pertinent, vernaculè **een Renthoff** seu **Renterie**. Ejus ferè vocabuli Vicus est, ad *Tha* occidentem **Houtrik** in Freto *Harlemensi*. Quòd hic ipse designetur asserere vix ausim.

LVI. HOLWIRTH.

MEnco hujus mentionem facit ad annum CIↃ CCXLVIII. Hodie **Holwierde** vocatur Vicus cum excelsa turri tota lateritia ad summum apicem, in orâ fere *Amisiæ* intra III. Lapidem ab *Appingadamo* in arctum. Alfricus ([a]) **Helewyrd** vocare videtur: Continuator Menconis **Halwirth** / id est, Sacrum Excelsum, uti & **Heiligio** & **Heiligeler**.

([a]) In Vita Ludgeri. Lib. II. c. 1.

LVII. HONNEPE.

SIc Otto III. Imper. in Diplomate anni IↃ CCCCXCVI. Henricus III. CIↃ XLVI. HUNNE. Lotharius II. CIↃ CXXXIV. HONNIPE. Locus est ad *Hunepam* fluviolum, quæ & nominis ratio, ubi anno CIↃ CCLXXII. excitatum tradit I. Isac. Pontanus ([b]), Monasterium Virginum Bernardini Ordinis, cui hodie nomen **Ter Honnepe** vel t'HONNEPE M. P. II. supra *Daventriam*.

([b]) Hist. Gelr. Lib. VI.

LVIII. HOOCHOUTWOUDE.

NObilissimus *Westfrisiæ* Vicus; Villam vocat Beka ([c]), id est, Opidum, Wilhelmi Imper. cæde famosum. Hodie **Houtwoud**. Ad quem etiam acriter pugnatum inter *Hollandos* & *Frisios* horum gravissimo damno CIↃ CCLXXXII. Teste Stokio.

([c]) In Henrico.

LIX. HORNA.

PRæcipuum licet hodiè Emporium totius *Westfrisiæ* intra *Kinnemum* & *Flevum*, cui cum *Enchusa* & *Medenbleca*, ex Veteri Rep. præcipua multa seorsùm. Nulli ramen indicatum reperitur ante Seculum

XIII.

XIII. absolutum. Adolescente enim XIV^to ad Parochiæ frequentiam primò pervenisse constat. Nomen illi esse à situ, qui est ad intimum recessum Lacus *Flevonis*, quo se ceu cornu [nobis HOORN] in terras infert, Virorum insignium non inscita conjectura est.

LX. HORNUM.

VOx angulum significat, quem *Suthardeshaga* Limes subito flexu constituit, proximè ad occasum à *Delfa*. Retinet ibidem hodieque nomen. Est autem una ex VIII. Hobis [Centhoven] Arnulfianæ largitionis, anni IↃ CCCLXXXIX.

LXI. HORSTA SUPERIOR.

CAstrum est à Godefrido Episcopo contra *Gelros* excitatum anno CIↃ CLVII. cui *Superioris* cognomen additum ad differentiam alterius, in *Vechtæ* citerioris ripa, Neder-Horst dicti.

Operis firmissimi Arx fuit, in quam Episcopi Thesauros condere sueverunt, uti est in Membrana Trajectina. Frequentissima hujus mentio est, apud omnes horum temporum Scriptores. Abfuit à *Trajecto* M. P. XX. A *Reno* Opido M. P. II. ubi nec desiit esse nomen.

LXII. HOSTERBACH.

TEstatur Buchelius (a) esse apud se Diploma anni IↃ CCCXXIV. quo HOSTERBACH donatur Ecclesiæ Trajectinæ, pro quo Heisterbach legit Heda. In Friderici II. Imper. Diplomate (b) vocatur OOSTERBEKE. Quo nomine & hodie perennat ad *Rhenum* in Pago *Felua* intra II. Lapidem, infra *Arnhemum*.

(a) Ad Hedæ Frider. Ep.

(b) Ap. Hedam in Ottone II.

LXIII. HOUDNA.

VIlla Prætoria est in Pago *Huitingod*, subjectum habens, inter alia, Vicum *Werdupam* dono datum Ecclesiæ *Trajectinæ* à Rotgario Comite anno IↃ CCCXXXVIII. Hodie, sine aspiratione, antiquum obtinet nomen OUDEN-A in dextra *Vechtæ* ripa M. P. V. infra *Trajectum*.

LXIV. HOUGNINKE.

VIcus fuit cum Ecclesia, cui Botteltherk nomen, quam Burchardus Episcopus anno CIↃ CV. *Slidrechtanæ* subditam arbitratus est. Mater superest, Filia nusquam apparet. Quia sub fluctibus in Biesbos. Restat tamen Territorii portiuncula, inter Vada cis Mer-

wedam / inter Hardinxvelt & Giessendam / veteri vocabulo, 't Ambt van Houweningen.

LXV. HOUWERAHUSUM.

HUjus Ecclesia, sic Fana vocarunt, concremata est anno CIↃ CCXLVII. non fortuitò, sed ab hostili manu, ob id sceleris Episcopo condemnatâ in centum marcas sterlingiorum. Ego quidem nunquam instauratam suspicor, quia hodie in loco ad dextram *Unsingis* inferioris ripam, ubi superest nomen Houwe & HOUWERZYL, sacræ Ædis nullum vestigium.

LXVI. HUGEMERKE.

HUGEMERCHER & HUGEMERKE vocarunt Werumenses, Agros opimos ad *Unsingis* Æstuarium, amplissimos quondam, hodie non adeo latos, qui nuper *Midachiis* accesserunt, & unà cum *Langowaldiis* & *Fredowaldiis*, tertium Pagum inter *Amisiam* & *Lavicam* constituunt nomine Wester-Quartier. Alfridus Episcopus in Vita Ludgeri (a) scripsit *Hugmerthi*. Emmio placuit ejus cultores *Hummercios* appellare. Ipsi agros suos Humsterland vocant. Primitiva autem vox, Hugonis Marchiam seu Marcam, id est, descriptum Territorium notat.

(a) Cap. 4.

LXVII. HUILPA.

LOcus est, tradente Alfrido Mimigernefordensi, in Vita Ludgeri, (b) ad occidentem fluminis *Isle* è regione *Daventriæ*: Ubi S. Lebuino seu Liafwino Oratorium condiderunt tum recens ad Christum conversi. Hodie WULP seu *Welp* vocari existimem.

(b) Lib. I. cap. II.

LXVIII. HUITINGÔA.

PAgus est, in quo Villa Prætoria Houdna / ad quam pertinet Vicus *Werdupa*, Cujus donum Ecclesiæ Trajectinæ fecit Rotgarius Comes anno IↃ CCCXXXVIII. Veterum *Auctorum* portio est, tractum illum complectens, qui intra *Vechtam* & Pagum *Flehite* est, à *Rheno* ad *Lacum*, cujus parti inferiori GOY-*landiæ* nomen hodieque adhæret. Quæ ratio agnominationis ab HUITIN in obscuro latet.

LXIX. HULST.

ANno Æræ Christ. CIↃ CV. Viculus tantùm fuit intra *Cappellæ* modulum, quam subdidit Burchardus Episcopus Traj. S. Salvatori seu Out-Munster. Quando in Ecclesiam, quando in Opidum

dum ſuccreverit? non ſatis conſtat. Liedekerkia ſanè Gens heîc ante ſecula plura Burchgraviatum obtinuit. Caput eſt IV. Præfecturarum *Flandriæ*. Hodie in Dicione VII-Fœderatorum M. P. XV. à Gandavo.

LXX. HULSVORDE.

DEſcribitur Locus in Membrana Traj. ad annum cIↃ ccxxx. propior à *Covordia* quam ab Anen. Hodie obſolevit nomen.

LXXI. HUMELLE.

EX donatione Gerowaldi Viri locupletis hic locus ceſſit Eccleſiæ Trajectinæ anno IↃ cccxxviii. Eſt vicus in Comitatu *Zutfanienſi* retinens nomen inter Dotechem & Doesburg.

LXXII HUNEPA.

AMniculus eſt, qui, ſub mœnibus *Daventriæ*, *Iſalæ* miſcetur, ad quem caſtra metatos narrat Membrana Traject. ad annum cIↃ ccxxv. hoſtiles Exercitus Ottonum Epiſcopi Traj. & Gelri. Nominis veſtigium ſupereſt in veteri Virginum Cœnobio ad ripam ejus ſiniſtram, vulgò Tonnepe / vel clarius Ter Honnepe / id eſt, AD HUNEPAM vocatô.

LXXIII. HUNESA.

FLuvius eſt, quem UNSINGIM Tacito appellatum Parte I. probavimus. Qui ſcripſerunt hiſce ſeculis, quibus hactenus perluſtrandis hoc otii damus, atque ex illis interpretes; *Huneſe*, *Hunſing*, *Huneſam* & *Huneſum* vocarunt. Beka vitio *Homme*. Et ex illo Chronicon Magn. quia forte *Homſterlandiæ* ab illo nomen eſſe credidit, atque ignoravit id contractum ex Hugmerkſterland. Werumenſibus magis placuit HUNESA. Emmio illorum fidiſſimo Interpreti HUNESUS; ſed ad Tacitum maximè accedit HUNSINGIS. Duravit quidem hoc vocabulum, poſt *Suevorum* Imperium, à quo Inſtrumenta germanicè ſignari cœperunt; Cujus apud me luculentum teſtimonium eſt, à Majoribus de manu in manum traditum, Quo continetur bonorum Virorum arbitrium, inter tres familias *Altingam*, *Thieboldingam*, *Fockingam*; Et *Trentowaldios* interpoſitum anno cIↃ cccxv. ſuper lite de coërcendo muniendoque hoc flumine; & piſcationis jure Up de Wateringe de Huneſa genoempt. Jam ante annos aliquam multos, inter præfatas Familias & Cœnobitas *Adewertanos*, quoque agitata, atque interventu Conſulum Groningenſium compoſita; de quo etiam extat Inſtrumentum latinè in Tabulario publico.

blico. Nostrum, ut sigillis suis firmarent, rogati fuere; **Ruloff Ridder Here van Groenenberch Stadtholder in Groeningen / Etten van Drenthe / Richters van Fivelinge.** Quia illorum intererat coarctari flumen crepidine, in Litteris **Were** dicta, hodie vulgo **Auype.** Post illud verò seculum exolescere cœpit: Et hodie apud vulgus pænè memoria excidit; Supra *Groningam* dudum receptâ appellatione **Schuytendiep** à navibus, quæ planæ carinis, foco alimenta deferunt; Infra, **Reytdiep** ab arundinum in ripa crescentium copia; Et **Groeningerdiep**/ id est, fluminis Groningani, apud navigantes *Oceanum Mareque vadosum.* Seculo XIII. Urbi primùm junctus, qui anteà, ultra primum lapidem, prætetfluebat, ductû veteris alvei adhuc passim observabili, inter injectos obices ad *Horreum rubrum* & *Wirumum* vicum.

LXXIV. HUNESGÔ. HUNSINGIA.

(a) Cap. IV. Lib. I.

ULtimam hujus memoriam esse puto, in Vita Ludgeri (a); Ubi *Hunusgô* Pagus memoratur in Gente *Fresonum* ab orientali parte fluminis *Labeki.* Deinde in Diplomatis Imperatorum Ottonis I. Ottonis III. & Lotharii II. quibus confirmant donationem Primæ Antistitæ Altinensi Lutgardæ Donatoris filiæ, ejusque Abbatiæ factam à Wichmanno Comite ad oras *Rheni* [*Zutfania* indicatur] circa annum IↃ CCCCXL. Quâ & continentur prædia, quæ possidebat in *Frisionibus, in IV. Comitatibus HUNESGO, Fualgô* [*pro Fivalgô*] *Merma* [*pro Merna*] *& Midage*; uti collatis inter se Diplomatibus, quorum aliud aliô mendosius, legendum esse satis liquet. Nec dubium quin intelligantur HUNESGO, *Fivelgô, Marna & Midach* inter *Amisiam* & *Lavicam.* Abbates Werumenses retinuerunt scriptionem Diplomatis HUNESGO, quam & Emmius probat. Membrana Traj. ab *Hunse* seu *Hunsing* vernaculo amnis vocabulô HUNSEGO & HUNSEGONES scribere potiùs habuit. Id quod propius ad nostrum HUNSINGO & **Hunsingers.**

Est autem Agri *Groningam* circumjacentis portio longè præstantissima & facile princeps, per complura secula Urbis conjunctissima & fere indivulsa socia. Australi latere, M. P. IV. vix longiore, jungitur *Siloverdiæ* agris, nusquam ultra II. ab Urbe lapidem. Ad occidentem, iterumque ad meridiem habet *Hunesam* seu *Hunsingim* fl. nominis auctorem. Ad arctum, *Oceanum.* Ad orientem, *Fivelingiam*, longô ubique tractu, maximè ad *Oceanum* M. P. XXII. non breviore, unde figura Trigonæ proxima exsurgit.

LXXV. HUNTSEL.

(b) Ap. Buxhorn.

LUbbertus Hecmundensis in Litteris anni CIↃ CCLXII. (b) ponit hunc locum infra [id est intra, stilo seculi] Parochiam de **Maltwik.**

wijk. Supereſt nomen in HUNTSELER-Dyk non niſi M. D. paſſibus à Naaldwyk. HONSELAM ſpecioſam Arcem vocat Junius *Naaldvico* vicinam.

LXXVI. HUSDENGUM.

ECcleſia fuit Magiſtri Emonis adhuc Plebani, id eſt, Sacerdotis minorum Gentium, poſteà Abbatis Werumenſis, uti Menco in ejus vita narrat. Illuc vocatus fuit à Præfecturâ Scholæ *Emethenſis*, ubi Ado Magiſtri frater Sacerdotio fungebatur. Igitur in vicinia fuiſſe ſuſpicio eſt, atque Vicum illum in proximis *Hunſingiæ* finibus. Cui nomen antiquitus *Huſdinge* hodie HUSINGE M. P. IX. ab Urbe *Groninga* in Aquilonem Septentrionalem. Meminit quoque HUSDENGI ipſe Emo ad annum cIↃ CCXXIV.

LXXVII. HUSIDINA.

W*Eſtfriſiæ* Continentis extremum, *Texelæ* Inſulæ oppoſitum, nomen in Vico non infrequente ſervans, HUYSDUNEN. Mentio ejus eſt in Inventario Bonorum Trajectinæ Eccleſiæ.

LXXVIII. HUSEN.

TElonii novi locus in ſuperiore *Bathua* haut longè ſupra *Foſſæ Druſianæ* initium, de quo inter Gelrum & Clivenſem controverſia agitata anno (a) cIↃ CCLXVI. Hodie Clivenſis juris opidulum eſt Huyſſen vulgo dictum.

(a) Ap. Pontanum.

LXXIX. HUUI. HUUL.

HUUI quidem tranſſumpſit Librarius ex Arnulfi Imper. Diplomate anni IↃ CCCLXXXIX. quô acceſſit Gerolfi Comitatui cum aliis VII. Hobis [Renthoven]. ſed emendandum eſſe I. in L. atque legendum HUUL nihil addubito. Cùm ejus vocabuli loca duo etiam hodie reperiantur, diverſis agnominationibus. Hîc autem deſignari *Quints*-HUEL, vel inde manifeſtum eſt, quòd alter, cui *Haſges*-HUEL appellatio, mox indicetur vocabulô ASKE. Germanica vox terreum tribunal ſignificat, quam Superiores Hügel / Nos Heuvel / Veteres HUUL & *Hil* pronunciarunt: Abeſt à *Delfa Oceanum* verſùs M. P. IV. à *Loſoduno* III.

I

I. INCLUSUM BONÆ FAMÆ.

INCLUSUM seu *Clusa* id ævi vocabatur Casula, in quam Monachi misanthropi pauci, vel etiam unus, sui ordinis Claustro parum utiles, à reliquis Cœnobitis vitam degebant solitariam. Tale fuit & hoc, cui BONÆ FAMÆ addita appellatio, haut dubie à Solitariorum [quos & INCLUSOS vocabant] moribus, vulgo probatis. Extitisse dicitur Emoni, juxta Ecclesiam in *Usquerth*, atque unà cum illa, incendiariis *Hunsingiis*, conflagrasse anno cIↄ ccxxxi.

II. INSULA ERNERENSIUM &c.

AGri modus haut exiguus est, extra aggeres, ab *Oceano* adjectus, in *Enerensium* & *Uthusensium* confiniis, longi belli materies inter *Hunsingios* & *Fivelingios*, secundum Werumenses Abbates. Hodie **Uptendyk** vocatur, quod genus, *Insularum* nomine Veteribus venisse, sæpiusculè videbimus.

III. INSULA S. MARIÆ.

PRæmonstratensis Ordinis Cœnobium fuisse ex narratione Sibrandi Mariægardensis, (a) & Menconis Werumensis satis intelligitur ad annum cIↄ ccxliii. Condere illud jussi fuêre Kukienses Comites anno cIↄ cxxviii. expiandæ cædi Florentii Nigri, qui Theodorico VI. Holl. Com. frater. Referente Hedâ (b) Celeberrimum quondam fuit, hodie in ruinis servat nomen vernaculum MARIENWEERT. ad *Lingiæ* dextram. M. P. V. à *Culenburgo*.

(a) In Vita Frederici.

(b) In Andrea Episcopo.

IV. INTERLACUS PAGUS.

PAgus est suprà *Trajectum*, sic dictus, quia inter *Rheni* & *Leckiæ* alveos, *quasi Interamnis*. Amnes enim & Lacus promiscua tunc obtinebant nomina; ita ut fluvii Lacus, & hi vicissim fluvii appellarentur. Sic *Bamestræ*, *Chimelosaræ*, *Medemelachæ*, haut dubiè Lacubus, appellationem fluviorum tributam ex Cæsarum Diplomatis constat; uti hîc è contrario, Lacûs, *Rheno* & *Leckiæ* fluviis. A. Buchelius ICtus testatur variam esse MSS. Diplomatis Martelli lectionem, modo *Insterlacus* modo *Nisterlacus* : Sed præter rei evidentiam, Hedæ

Digitized by Google

dæ authoritas (a), qui INTERLAKUM ſcripſit, facile perſuadet, vitium eſſe in aliis. Carolus Martellus Villam Prætoriam *Fethnam* cum Caſtro *Wiltaburgo* tantùm, in hoc Pago donavit Wilibrordo anno IↃ CCXXII. ſed Carolus M. Nepos, Albrico integrum, ſub nomine *Inſulæ inter Rhenum* & *Leckiam* anno IↃ CCLXXVI. (a) In Alfrico.

V. ISLA Batav. fl.

AMnis eſt Inſulæ *Batavorum*, ſoli parti inferiori ortum debens & exitum. Quondam limes, *Batavos* inter & *Caninefates*. Hodie inter *Zuthollandiam* ſtrictè dictam, & Ulteriorem reliquam. *Merweda* foſſa, ex *Vahale* ad *Leckiam* ducta, tum huic, tum *Iſalæ*, quaſi amnibus à ſe receptis, finem facit, Priori ad *Crimpen*, Noſtro ad Yſſelmunde & Yſſelveer M. P. III. ſupra *Roterodamum*. Mentio ejus eſt in Codicillis Ottonis M. IↃ CCCCXLIV. cum aſpiratione HISLA. Ottonis III. IↃ CCCCLXXXV. & alibi frequentatiſſima.

VI. ISLA Friſ. fl.

CElebris his terris fluvius; Druſi operâ *Rheni* Orientalis ſuperior pars, ad Lacum *Flevonem* uſque. Inferior pars, ejuſdem operâ ad *Campos* Opidum obſtructa, ſeculis noſtri inſtituti, idem nomen retinuit poſt Lacum, tenui alveo *Stauriam* & *Enchuſam* ſegniter interfluens, donec *Oceanus* omnem illum terræ tractum convertit in Novum Maris Sinum, tandem cum veteri Lacu continuum. Poſt Druſi ævum, *Vechtam* per Lacum ſecum devexit in *Flevi* alveum, ripis coërcitum, atque ad ejuſdem nominis oſtium *Oceano* affudit, uti Parte I. demonſtratum. Carolinorum ſeculo ſcripſerunt CHISLAM. Ottonum HISLAM. Henricorum ISLAM. Suevorum, cujus eſt Membrana Trajectina, YSLAM. Beka ISALAM. *Iſelam* & *Iſulam*, ad vernaculum Yſſel.

VII. ISLEGAUWE.

FRiſiæ pars fuit in ripa dextra *Iſlæ*, qui, poſt Lacum, inter *Stauriam* & *Enchuſam* fluxit, quam cùm duabus aliis à *Flevo* in *Lavicam*, & Quartâ inde in *Amiſiam*, unà cum ipſa *Hollandia* per quadriennium uſurpaverat Godefridus Gibboſus *Lotharingiæ* ſeu *Brabantiæ* Dux; atque hoc fœdè ſublato, Egbertus Saxoniæ Marchio invaſit. Et contra Theodoricum V. jam horum aliquid detinentem obtinuit quoque à Cognato Imperatore, plura additturo ſi in fide perſtitiſſet, nec rebellione meritus fuiſſet iteratam proſcriptionem. Quicquid enim in *Friſiis* cis *Lavicam* poſſedit Egbertus proſcriptionis tempore, Henricus IV. Imper. Donationis Tabulis tranſtulit ad Eccleſiam *Trajectinam*; Et alterâ quidem vice Ooſtrogouwe & Weſtrogouwe VII. Idus Febr.

Febr. CIↃ LXXXVI. in Villa *Thuringiæ*, atque hunc Comitatum ISLEGOUWE, altero mense post III. Nonas April. *Ratibonæ*. Priores recitat Heda ([a]). De Posterioribus testimonium subjicit Buchelius. Fuisse autem hunc Comitatum in antiquo *Sturiorum* Pago, ad *Islæ* inferiorem alveum, nihil ambigendum est; immò ipsum illum esse Comitatum de *Stavero*; Quem post primam Egberti proscriptionem, cujus gratia facta, jam assignaverat Episcopo Imperator, statim iisdem Comitiis *Wormatiæ* habitis ([b]) CIↃ LXXVII.

(a) In Conrado.

(b) Ap. Hedam. D. L.

Igitur, qui in hisce primis Tabulis Comitatus de *Stavero* vocatur; In posterioribus Comitatûs *Islegoæ* appellatione significatur: Cùm Egbertum nihil ultrà possedisse hisce finibus, ullo indicio prodatur usquam: Atque in hos tres Comitatus *Oostergô*, *Westergô* & **Staveren** tantùm, diu controversum vel commune jus fuisse *Hollandis* & *Trajectinis*, disertim testatum reliquerint Compositionis Tabulæ inter Theodoricum II. Episcopum & Ludovicum Adæ Holl. Com. Maritum anno CIↃCCIV. confectæ. ([c]) Hodie, cum ipso illo *Islæ* alveo, Maris Sinu conditur pænè totus.

(c) Ap. Hedam in Theod. II.

VIII. ISLEMUNDE.

CAstrum firmissimum vocat Stokius ([d]);

(d) In Dicerico V.

De vaste Borch van *Yselmonde*.

Conditum à Wilhelmo Episcopo Trajectino in Comitatu *Hollandiæ* strictè dicto, quem nuper ab Henrico IV. Imper. acceperat, vel receperat. Sed expugnatum, incensum & solo æquatum à Theodorico V. Comite Holl. post geminam victoriam terrestrem & navalem, operâ Vittici sui Roberti, de Conrado Episcopo reportatam. CIↃ LXXVI. Igitur Arcem munitam fuisse anno CIↃ XVIII. Heda tam erroneè asserit, quàm quod Adelboldus Episcopus Theodorici III. fuerit captivus, hic, per triennium, custodiæ mancipatus. Assidet lævæ ripæ *Merwedæ* *Islam* è regione recipientis, id est, contra *Islæ Os*, vernaculè **Ysselmonde**.

IX. ISLESTEIN.

DIcio modica est ex *Teisterbantiæ* laciniis inter *Leckiam* & *Islam*, cum Arce, quam conditam tradit Buxhornius ([e]) V. Cl. sine authoritate, anno CIↃ CCL. ad ejusdem fluminis superiorem alveum adhuc exilem; Saltem anno CIↃ CCXCVIII. Castrum munitissimum jam fuit, quod Giselberto, qui illud beneficio *Hollandiæ* tenebat, cedere nolenti, gravi obsidione extortum est; Atque Wolfardo Borsalio à Joanne I. donatum. Authore Stokio æquali. Postea

(e) In Theat. Holl.

Pars

Digitized by Google

Pars peculii Egmondanæ Domûs, Familiæ Buranæ. De cujus Dominio Quiritario, diu multumque inter Episcopos & Hollandos certatum. His tandem remansit. Hodie Municipium mediocre M. P. IV. à *Trajecto* in ortum hibernum.

X. JUCAWERT.

VIculus est in *Fivelingiis*. Hodie JUKWERT, *Appingadamo* pæne contiguus, *Fivelæ* ad arctum. Emo Werumensis ad annum CIↃ CCVIII. vocat ejus Sacerdotem Oswaldum.

XI. JUDEFAX.

QUondam Arx cognominis Gentis M. P. V. à *Trajecto*. Cujus memoria est in Diplomate Friderici I. Imper. anni CIↃ CLXV. Hodie JUTFAES.

K

I. KAMERKA.

TRactus terræ vocatur ab Andrea Episcopo Trajectino in Litteris anni CIↃ CXXXI. verè CIↃ CXXX. fossâ separatus à Terra MI. quæ est *Trajectina* Dicionis M. P. IX. ab Urbe. Rusticis etiam hodie KAMERK, id est, Tractus cajatus vel cajis cinctus; Sed Opidanis CAMERYK.

II. KAMPA.

LOcus in *Walachriæ* Pago, *Gadavensi* Cœnobio addictus ab Ottone II. Imperatore, anno IↃ CCCCLXXIV. Videtur KAMPVERE indicari. Hodie Opidum Marchionatûs titulô insigne, aquilonari in littore, solo VERÆ nomine ferè notum. Incerta vulgi fama est, hîc quondam, non nisi paucos Naviculatios habitasse, operam locantes trajectui ad *Kampam Scaldiæ* olim celebre Opidum, jam fluctibus haustum: Atque hinc dici cœpisse Kampveer quasi 't Veer na Kampen. Cæterùm si KAMPA *Walachriæ* Ottonum seculo, uti patet, jam cognita fuerit, & de alterius antiquitate non æquè constet; Magis est quòd KAMPA, *Veræ* cognominationem domi receperit, vel à Navibus Trajectui paratis, vel distinctionis ergò à

Kampa Scaldensi; quàm quod VERÆ, accersitum fuerit agnomen ultra Fretum. Stokius ejus meminit sæpiùs, eo quo hodie est nomine **Ter Vere**. Assidet lævo *Scaldis* Orientalis lateri. M. P. III. à *Middelburgo*. Inter Zelandicas Civitates ordine II.

III. KINHEM.

PAgi *Texelensis* Comitatus vocatur in Diplomate Ottonis III. Imperatoris, anni DCCCCLXXXV. Quô, præter alia cis *Rhenum* posita, Dicioni Theodorici II. adjecit omne littus inter *Kinnemum* & *Flevum*: Nullo quidem jure, & contra Carolinorum offirmatum institutum. Diversus itaque est KINHEM Comitatus à *Kinnemaria*, quia hæc *Kinnemo* fl. occidua & Caroli Simplicis donatione jam antea Hollandici juris. Hic verò *Normannorum* temporibus eodem titulo cognitus, ac Reginoni (a) CHINHEYM dictus: nisi ille, & *Kinnemariam* eodem vocabulo complexus fuerit; quia ex hac demum oportunitas ascendendi *Rhenum*, & penetrandi in *Sunnemariam* aut *Dennemarcam*. Quod factum asserit.

(a) Ad ann. 884.

De terminis *Kinhemi ulterioris*, ad Occidentem & Septentriones, satis constat, *Kinnemo* rivo puta, & *Oceano*: Sed quo usque in Meridiem & Orientem procurrerint, definitum non est, nisi quòd à meridie *Masalandæ*, [uti quidem editum] ab Oriente *Texelæ*, Comitatus habuit finitimos.

IV. KINNEM.

RIvus est, è Lacu *Scirmerano*, aquarum partem ducens ad Ostium, quod, quondam *Pethemi* fuisse, ostendit apertura, quæ superest. Uti ad *Tham* ab altero latere alius, cui *Sana* nomen; quod & huic commune aliquando fuisse arguit adjacens hodie veteri *Kinnemo* vicus **Zantgeest**.

Atque hic terminus à Regibus Franciæ descriptus est *Frisiis*, quibus libertatem reliquerunt: Ultra quem Carolinæ stirpis Principum nemo quicquam *Hollandis* addixit. Carolus autem Simplex huc usque Theodorici I. Dicionem, intra *Mosam* & *Rhenum*, non longè ab Ostiis circa Littus, hactenus subsistentem, primus protulit anno Christi IↃ CCCCXIII. Frequens Annalibus hujus mentio, propter continuas digladiationes inter *Hollandos* & *Frisios* limiti tutando exortas.

V. KINNEMARIA.

ITa in Catalogo Vassorum Trajectinæ Ecclesiæ; nec non apud Stokium & Bekam, vocatur pars Agri Veterum *Marsatiorum*, quæ est ad *Oceanum*, inter *Rhenum* & *Kinnemum* rivum, vernaculè **Kennemerland**/ dicta, à Rivo *West-Frisiæ* finitore. P. Scriverius Vir eruditissimus & ingenii acumine Maximus, apud Reginonem (b) pro *Danemarcu*

(b) Ad ann. 884.

KHINE-

KHINEMARCAM legendum putat, atque intelligendum, hanc nostram KINNEMARIAM. Idque ob rationem non levem, cùm palàm diversi Comitatus sint *Kinhem* & *Kinnemaria*. Reginoni *Chinheym* & secundùm Scriverium *Chinemarka*; Quod ut maximè verum esse probavimus, ad *Kinhemum*; ita nec ideo quidem acutissimi Viri mutationem probandam censemus. Cùm *Danemarcæ* nomen, jam anteriore Danorum irruptione impositum videatur Regioni, cui etiamnum adhæret inter *Rhenum* & *Tham*, quam hac novissimâ expeditione repetiverunt. Ut adeo nulla urgeat necessitas mutandi Vocem *Danemarcæ* in *Khinemarcæ*: maximè si *Kinhemo* vel *Chinheymo*, quod non insolens, latior & arctior tribuatur significatio, modò pro Utroque Comitatu cis & ultrà *Kinnemum*, modò pro Ulteriore tantùm seu *Texelensis Pagi* portione. KINNEMERIAM autem Theodorico I°. donavit Carolus Simplex Fr. Rex anno IↃ CCCCXIII. invitâ Gente, quæ manu prompta licet, indomita, nobilitati infesta pariterque invisa, tandem tamen Principi morigera facta, magno in bellis usui fuit.

VI. KIRCWERVA.

EX Matribus Ecclesiis una, quarum filiæ, per *Hollandicam* Dicionem, Ecclesiæ Minores & Cappellæ aliquot circumvicinæ. De qua in Transactione Epternacensi anni CIↃ LXIII. Suos etiam habuit Dynastas Gentilitio cognomine **de Kirchwerf**; uti in Diplomate ([a]) Adæ Marchion. CIↃ CCV. Hanc reddidit Henricus IV. Imp. ex spoliis Hollandicis Patri suo reportatis, Wilhelmo Tr. Episcopo anno CIↃ LXIV. KIRCWERVAM si latinè verteris, *Sacræ Ædis aream* notat. Alio nomine, jam antiquo nuncupata *Osregest*, *Osgest*, **Oostgeest**/ quô etiam hodie cluet: De hoc testantur Inventarium Bonorum Ecclesiæ Traj., Diplomata ([b]) Wilhelmi Tutoris Hollandiæ CIↃ CCXXXVI. & Adelheidæ Tutricis CIↃ CCLVIII. Abest à *Rheni* dextrâ ripâ M. D. passibus, infra *Lugdunum*.

(a) Ap. Buxhorn.

(b) Ap. Buxhorn.

VII. KOUDEKERK.

TOparchia est sub *Hollandico* Imperio, quorum Dynastæ sæpiùs memorantur, speciatim anno CIↃ CCXIII. in Diplomate ([c]) Wilhelmi I Holl. Com. Sunt ejus nominis Vici plures; in ripa *Rheni* dextra supra *Lugdunum*; In *Walachria*; In *Scaldia*, fortè & alibi, ut haut facile sit dignoscere, de quonam subinde fiat mentio.

(c) Ap. Buxhorn.

VIII. KULENBURCH.

CAstrum est, ad *Rheni* per Civilem abacti novum alveum, *Leckiam*, vix M. P. V. infra *Durostadium*; sed læva in ripa. Peculium quondam Gentis equestris de *Buesinchem* venditum ([d]) Rinaldo Gel-

(d) Ap. Pontan. Hist. G. Lib. VI.

Digitized by Google

riæ Comiti C. Libris Denariorum Hollandicorum, anno cIↃ CCLXXXI. Accessit postea cum Opidi dignatione, Comitatûs titulus.

IX. KUNERA.

Opidulum est, *Vullenhoæ* Præfecturæ, ad arctum, extremum; In ipsa *Flevonis* ora, ubi cognominis amniculus, recepto *Lindâ*, Lacum intrat. Meminit utriusque Membrana Trajectina. Beka tradit *Frisios* inter & *Kuneranos* sæpius conflictum cIↃ CXCV. Emmius (a) eodem tempore contra *Cuneranum* Comitem, Balduino Episcopo, bellum fuisse; hâc conditione compositum, ut Comitatus, extinctâ prole masculâ ad Diœcesin rediret. Buchelius addit; Ejus Comitatûs maximam partem, fuisse *Flevonem* Insulam.

(a) Rer. Fris. Lib. VII.

X. KUUC.

Dynastæ hoc nomine fuerunt, ad *Mosæ* lævam, inter Vassos Ecclesiæ Trajectinæ numerati, Pincernæ Officio. Comites etiam vocantur, sed ab alia Dicione, uti rectè observavit solertissimus Buchelius; fortè ab *Arensbergia*, à qua Kukiensium Fratrum Majori cognomen addit Stokius (b) ad annum cIↃ CXXXI. Minori à *Kukiensi*, quorum Germanus fuisse videtur Andreas Kukiensis Episcopus Trajectinus electus cIↃ CXXVIII. Sed Lotharius II. Imp. interdixit Minori Comitum dignitate undecunque etiam tractâ, ob cæsum Florentium Hollandum sororis suæ filium; narrante Beka, partim ex Stokio, qui addit Kukienses fratres tam Arnsbergensem quam Kukiensem, Dicionibus quemque suis, à Theodorico, cæsi fratre, in feudum receptis, pacem redemisse. Ex Diplomate Conradi III. Imp. cIↃ CXLV. intelligitur; redditam quoque fuisse Comitis dignitatem. Post extinctos Kukienses, Gelri, occupatâ *Graviâ* Regionis Primario Opido, Dicionem diu tenuerunt. Hodie in VII-Fœderatorum tutela est. Distat *Gravia* à *Noviomago* M. P. VIII.

(b) In Diderico VI.

I. LAKE

L

I. LAKE ET ISLA.

PAgus est *Interlaco* proximè inferior, cui eadem nominis ratio, quæ MOSAWALÆ & similibus aliis; Quia scilicet, inter *Leckiam* & *Islam* sitos agros complectitur, oblongo sed angusto tractu linguæ instar. In hoc Walgerus & Radbodus filius Comites, plurima possederunt ad Imperatorem Ottonem M. devoluta, quæ dono dedit Ecclesiæ Trajectinæ anno IↃ CCCCXLIV. Dicionem tamen in Pagum universum, sibi semper vindicarunt, qui *Hollandiæ* Principatum obtinuerunt. Ita autem ut abstinerent illis, quæ Otto M. juxta *Islam* & *Lake* S. Martino tradiderat; secundùm Henrici IV. Ordinationem anni CIↃ LXIV.

II. LANGHARE.

VIlla Prætoria fuit Comitatûs *Zutfaniensis*, A Geroaldo quodam Ecclesiæ Trajectinæ donata, anno IↃ CCCXXVIII. Hodie, in confinio *Monasteriensi*, Tractus est, qui adhuc **de Haart** appellatur.

III. LANGOWALDA.

HÆc Membranæ Trajectinæ scriptio est, propior ab hodierno **Langewolt** / quàm illa Latinior Werumensium Antistitum, LONGAWALDA. Portiuncula Tertiæ Partis Agrorum inter *Amisiam* & *Lavicam*, *Fredowaldæ* ad meridiem contigua; Ad occidentem *Lavicæ*; Ad Arctum *Hunesæ* seu *Unsingi fl.*; Ad occasum *Midachiis*. Soli ferè arenosi & palustris est; nisi quà *Lavicæ* Æstuarium, seu *Marnamanem Portum* appropinquat: Ubi argillosus & lætissimus ager, nulli usquam secundus.

IV. LANXSMERE.

RInaldus Comes Gelriæ bona sua, quæ heic & *Laxmundæ* habebat, pignori opposuit Huberto de *Boesinchem*, pari pretio, quo Castrum *Kulenburch* ab illo emerat anno CIↃ CCLXXXI. Haut procul à *Laxmunda* fuisse, vix dubium; licet hodiè non occurrat affinis vocabuli locus.

Digitized by Google

V. LARE.

COvordiensium Castrum fuit, quod Wilibrandus Episcopus Traj. illis ereptum destruxit, atque Eilardo Benthemio tradidit anno CIↃ CCXXII. Etiam hodie *Benthemicæ* Dicionis cum omni LARE vulgò 'T LAAR M. P. III. circiter à *Covordia*. Meminêre ejus Membrana Trajectina & Beka.

VI. LAUBACHUS. LAVICA.

RIvus est, qui Caroli M. ævo, vernaculè **De Laubach** vel **Loeubeke** / ab aquarum tepore, dictus fuit; atque inde, in Fresionum Legibus, LAUBACHUS & LAUBACUS. Alfridus Episcopus Monast. in Vita Ludgeri ([a]) scripsit **Labeke**. Henrici III. ætate appellatio **Labeke** / magis usu recepta fuit. Stokio saltem perpetua. Latinè scribentibus *Laveka* & LAVICA; sic Werumenses, Membrana Trajectina, Beka, Alii. Posterior; rivulum vocat qui ex Agro, quem Henricus III. ([b]) *Inter Emese & Laveke* nuncupat; transeundus est petentibus *Ostergoam* Comitatum, & *Fresones* cis *Lavicam*. Quarum Regionum terminator adhuc esse perseverat: Licet, aquis, quas deferre solebat, in varias partes derivatis, non uno in loco alveum perdiderit. Oritur ex *Drechteranis* paludibus, atque recto in Septentriones cursu, hodie quidem M. P. IX. non longiore, fertur in Sinum *Oceani*, cui ab Amne nomen, **De Lauwers-zee**.

(a) Cap. IV.

(b) Diplom. anni CIↃ XL.

VII. LAXMUNDE.

OStiolum rivuli in *Leckiam* se exonerantis loco nomen fecisse, suspicari licet; Ipsum autem *Leckiæ* ostium longè inferius est. Hodie **Lexmonde** Vicus & Arx est, ad *Leckiæ* ripam lævam, pari ferè distantiâ à *Viana* & *Neoportu*. Ob hujus eversionem Kukienses Fratres Florentium Nigrum Hollandiæ Principis Germanum per insidias obtruncarunt anno CIↃ CXXXII. narrante Stokio ([c]). Rinaldus verò Comes Gelrensis *Laxmunde* pignori opposuit Huberto de *Boesinchem* à quo Castrum *Kulenburch* emerat. De quo exstant Codicilli anni CIↃ CCLXXXI. Est & Viculus *Bathuæ* in *Rheni* ripa *Wageningæ* adversa, cui affine nomen **Laekmont**.

(c) In Diderico VI.

VIII. LECKIA.

IN Diplomate Caroli M. IↃ CCLXXVI. scriptum est repetito LOCKIA. Otto M. anno IↃ CCCCXLIV. LAKE vocat. Ast Burchardus Episcopus in Litteris anni CIↃ CVIII. LECKIAM propius ad hodier-

hodiernum loquendi & ſcribendi modum. Beka ubique LECCAM. Eſt autem novus *Rheni* alveus per Galliam, de quo Parte I. Quem vaſtis aggeribus tandem munitum tradit Heda (*) anno IↃ CCCXLI.

(*) In Hungero.

IX. LEDE.

DElflandiæ quendam locum indicari ſuſpicer à Theodorico VII. in Diplomate anni CIↃ CXCIX. Circa *Rottæ* rivi initium, ubi reperitur nomen Oude-LEE.

X. LEERDAM.

CIrca *Lingiæ* flexum à dextris, rivulo cuidam *Leæ* nomen fuiſſe arguunt LEERDAM & LEERBROEK. *Lingiæ* ſaltem cum poſteriore nihil commune eſt, ut inde Leerbroek quaſi Lingerbroek agnominari potuerit. Eſt autem LEERDAMO pidulum in ipſo Flexûs cubito, medium inter *Aſperam* & *Heukelum*, quod Arculanis acceſſit ex laciniis *Teiſterbantiæ*, certè territorium ejus hodie Comitatûs titulo honeſtatum; cujus Toparchas, *Leæ* Regulos vocarunt Antiqui Annales Hollandiæ. Quòd Opidum jam fuerit ante ſeculi XIII. finem, non compertum habeo.

XI. LEYDEN.

VEtus eſt *Lugdunum ad Rhenum*, *Germaniarum Caput*, in antiquo Itinerario Picto, cujus exemplar ab ætate Valentiniani III. habemus, jam tum non vulgaris Opidi notâ inſignitum. Subſecutæ Ætates variè in hac voce luſerunt. In Inventario antiquo Bonorum Trajectenſium legitur LEITHEN vel LETTHEN; Idque non uno de loco, ſed de tribus, numero Primæ, Secundæ, Tertiæ diſtinctis, inſtar Provinciarum Lugdunenſium in Galliis, per ridendam vanitatem. Occurrunt quidem in Veterum monumentis tres *Liethæ*. *Litte* ſcilicet hoc Opidum in Diplomate Henrici IV. anni CIↃ LXIV. *Liethemuthen* in Tranſactione cum Epternacenſi anni CIↃ LXIII. Et *Liethorpe* in Diplomate Baldrici Epiſcopi Traj. anni IↃ CCCCXLIII. quas procul dubio indicat Inventarium, quaſi Provincias Lugdunenſibus comparandas. Reperitur & in aliis Diplomatibus LITHIS, LEITHIS, ac noviſſimè in Wilhelmi Tut. Holl. CIↃ CCXXXVI. LEYDIS. Nec deeſt LEIDNI proximè accedens, factâ metatheſi, ad hodiernum LEYDEN, Quo jam perpetuò uſus eſt Stokius. Omnium optimè ſcripſiſſe putem Annales Fuldenſes LIGDUIN, quod Librarius corrupit in LINDUIT.

De vocabuli origine & loci ſitu ſatis dictum Parte I. Heic addidiſſe ſufficiet, quâ conditione fuerit, poſt exactos *Normannos* inſurgente Rep. *Hollandiæ*. Comitatus Gerolfiani portio non fuiſſe videtur,

tur : Sed *Westfingæ*, quæ *Hecmundanæ* Dicionis Præfectura circa oras *Rheni* inter *Foroburgium* & *Soetermerum*, uti alibi ostensum, additâ primò Theodorici I. paterno Comitatui, Caroli Simplicis Donatione.

Insignis autem fuit Præfectura, cui Principes dedêre Prætores hæreditarios Burchgravii titulo, jam ab anno cIↃ XC. quibus inde Gentilitium nomen factum **de Leyden**. Ex indiculo Ecclesiarum per Trajectensem Diœcesin dedicatarum innotescit; Fanum illud Petrinum dudum superbiens jam extitisse anno cIↃ CXXI. haut levi indicio etiam tunc amplissimæ Urbis. Quanta dignatione fuerit luculentissimè testantur Florentii V. varia Diplomata cIↃ CCLXVI. cIↃ CCLXXII. & cIↃ CCLXXIV. quibus, præter eximia privilegia, cautum est de Provocatione à *Goudanis* ad Collegium Juridicum Lugdunense vulgò **De Schepen-Bank**. Item de Civitatis jure ceu valdè opimo, non temerè communicando. Quid caussæ fuerit, quòd antiquitatis veneratione, amplitudine & potentiâ reliquis omnibus, cùm Amstelædamum non erat, longè superior, ultra IV. locum inter Reip. Patres non ascenderit? Haut satis compertum est.

XII. LEYLA.

IN Diplomate Ottonis M. IↃ CCCCLXX. jungitur *Liendlæ*. Unde conjectura non omnino absurda; Designari Locum, cui hodie nomen **Ter Lee** M. P. II. *Liendâ* superiorem, de cujus situ infrà.

XIII. LEYRA.

MEmoratur in Diplomate Anfridi Episcopi Tr. cIↃ VI. Servat hodie nomen LIERE ad rivulum cognominem, propè à *Mosæ* ostio. M. P. V. à **Monster** seu **Masemonster** in ortum hibernum.

XIV. LENNE.

RHeni aquas per *Fossam Drusianam* in *Lacum Flevonem* sparsas iterùm colligi angustiore alveo Parte I. vidimus, & quidem initio, per duplicem meatum, utrobique resumto *Rheni* vocabulo, necdum penitus oblitterato; inferiùs Ad *Taconis Emissarium*; superiùs AD LEMMERIAM, quam Membrana Trajectina LENNAM dixit, ad annum cIↃ CCXXVIII. & cIↃ CCXXXI.. seculi more, an Librarii vitiô? dubium. Situ inter *Kuneram* & *Stauriam*. Caput est Præfecturæ cognominis **Lemsterland**. Et Portus modicus, Municipii pæne formâ. M. P. II. ab altero alveo *Rheni*, quondam in terras è Lacu redeuntis; Ubi Coma Taconianum, vernaculè **Take-zyl**.

XV. LEN-

XV. LENTHE.

Vicus Parochialis *Bathuæ* superioris, è regione *Noviomagi*, in quem Jus Patronatûs Cœnobio *Vallis Comitis ad Nirsam* tribuit Otho Gelriæ Com. anno cIↃ CCLV.

XVI. LEOMERIKE.

PAgus vocatur, æque ac *Felua*, in Tabulis anni IↃ CCCXXXVIII. in quo Villæ Prætoriæ plures, quarum duæ ibidem indicantur. Otto M. Imp. in Diplomate anni IↃ CCCCLXX. meminit quoque Curtis Lijemerſche hoc ſitu. Hodie De Limers appellatur, longè minori tractu quam olim: extante vocabulo ad Divortium *Rheni* per *Foſſam Druſianam*, in ripis ulterioribus.

XVII. LIDENGER.

VIlla vocatur Emoni ad annum cIↃ CCXXIV. non quidem unius hæredioli, more Romano, ſed tractûs alicujus Terræ eundem Judicem agnoſcentis, quam Villicationem dixêre, nos Gerichtſtoel / Latini Villam Prætoriam non inſcitè dicerent. Ex narrationis ſerie colligere quidem licet in *Hunſingiis* fuiſſe hanc LIDINGI Villicationem haut procul ab *Uſquert*: Sed, nomine oblitteratô, non adeo promptum eſt edere quodnam, in locum ſucceſſerit.

XVIII. LIDLUM.

WEſtergoæ Cœnobium fuit *Barranæ* Præfecturæ, conditum ſeptennio ante Werumenſe in *Fivelingiis*, notante Emone, id eſt, anno cIↃ CCVI. M. P. V. ab *Harlinga* in ortum hibernum.

XIX. LIENDEN.

INferioris *Bathuæ* Vicus eſt, quondam etiam Caſtrum, haut longè à *Rheni* ripa *Rhenenſi* Opido adverſa. Et hæc quidem Ottonis III. ſcriptio eſt in Diplomate anni IↃ CCCCXCVI. quam Beka vel ejus Additionator (a) ſequitur & uſus retinet. Apud Ottonem M. reperitur *Liendlt*. Apud Lotharium II. palàm vitiosè, *Lechin*. (a) In Frider. II.

XX. LIETEMUTHEN.

LOcus eſt trans *Rhenum* Epiſcopo Trajectenſi & Præſuli Epternacenſi, inter alia, tranſactionis materies anno cIↃ LXIII. Antiqui

P nomi-

nominis mutationem, præter dialecti, nullam passus. Leymuyen hodie M. P. VIII. à *Liethe* seu *Lugduno* in ortum hibernum.

XXI. LIETHORP.

Vicum Leyerdorp in ripa *Rheni* dextra, paullo supra Urbem cognominem indicari in Diplomate Baldrici Episcopi Trajectini anni IↃ CCCCXLIII., nihil ambigendum est; Cùm & ipsa Urbs sæpiùs *Litte* & *Liethe*, atque Leymuyen / uti modo vidimus, itidem *Lietemuthen* vocetur.

XXII. LIMBA.

ITa Theodoricus V. Holl. Comes in Diplomate anni CIↃ LXXXIII. Inventarium Bonorum Trajectensis Ecclesiæ habet LIMBON. Hodie LIMME; quemadmodum Stokius (a) jam scripsit. *Kinnemariæ* Vicus est M. P. V. ad Occasum ab *Alcmaria*.

(a) In Dider. II.

XXIII. LINGIA.

AMniculus est *Insulæ Batavorum* in Agri principio ortus, secretis laticibus ex ipso *Vahali* scaturiens, uti observarunt, qui juxta habitant: Ipsum scilicet cum *Vahale* crescere, sudo etiam cœlô, atque deficere, licet pluvio. Diu labitur duobus rivulis, angusto tramite intermedio, sed sæpius confluis, tandem solidus, rectò adeò cursu, ut Diligentissimus Heda à *Linea* ipsi nominis originem arcesserit. M. P. II. supra *Gorichemum* subitò ab Occidente in meridiem deflectit ad *Vahalem*, atque cum eo rejungitur.

LINGIAM vocat Burchardus Episcopus Traj. in Litteris anni CIↃ CVIII. quibus Prædium, id est, territorium inter *Leckiam* & *Lingiam* Præpositis S. Martini & S. Bonifacii addixit. LINGENAM Otto III. Gelr. Com. in Litteris CIↃ CCLVI. (b) Disertissimus Junius LINGAM appellat amniculum segnem, lentum, tardum, cunctabundum.

(b) Ap. Pontan. H. Gelr. Lib. VI.

XXIV. LINTHERUNGE.

ESt Locus *Threntæ* Inferioris, quia in Comitatu Rodolfi, quem ex Proscripti Ulfonis & fratrum bonis Henricus III. Imp. addixit Bernolfo Trajectensi Episcopo anno CIↃ XL.

XXV. LINTHUSEN.

ITa scriptum in Diplomate Ottonis III. IↃ CCCCXCVI. In altero Lotharii II. CIↃ CXXXIV. legitur LINEHUSEN. Curtis est, cessa inter alias, ab *Eltensi* Cœnobio Adelæ Wichmanni Com. filiæ, ad redimen-

dimendam inofficiosæ Donationis querelam. Propè ab *Altinis* extat hodie LINEHORST vicus, qui fortè indicatur.

XXVI. LIORA.

OTTO III. Imp. intuitû Materteræ suæ, Arnulfo Theodorici II. filio maximo nuptæ, in amplificanda Theodorici Domo nimiùm proclivis, immò prodigus, adjecit ejus Dicionibus, inter alia, insignem Terræ tractum inter *Mosam* & *Rhenum*, jure primùm beneficiario, mox anno IↃ CCCCLXXXV. etiam proprietario: Terminis descriptis inter LIORAM & *Hislam* flumina. *Hisla* quodnam sit, suo loco dictum est; Cùm autem illud proximè ad *Rhenum* accedat, atque in *Merwedam* [id *Vahali* & *Mosæ* hodie commune nomen est] influat ubi *Islemunda* & *Yselvera*; Australis limes constat totus. Ad Septentriones ponitur LIORA, neutiquam fluminis nomine dignus: tenuissimus enim est rivulus, apud *Naldovicum* oriens, & apud *Flardingam* occidens, nullam nominis mutationem passus; nisi quòd Veterum Diphthongum *IO.* hodie per *IE.* pronunciemus, LIERE dicentes. Assident huic Arx & Vicus cognomines, à quibus & Dynastis quondam Gentilitium nomen **Van der Liere**. Quia verò Aviti Comitatûs Limes *Suthardesbaga*, à *Rheno* ad LIORAM pertingat, nullâ aliâ definitione erat opus, ponendo arctoo Limiti.

Igitur Theodorici jam factum, quicquid inter *Hislam* [ductâ lineâ à proxima ripa ad *Rhenum*] & *Oceanum*, *Vahali* & *Rheno* clauditur, id est, universus *Ager Caninefas*. Jure quidem beneficiario, quod *Suthardesbagæ* ad Septentriones; Propriô quod ad meridiem. Ultra *Hislam* tunc quidem progredi non licebat, obtinentibus illa *Teisterbantiæ* Comitibus. Itum igitur ad *Transkinnemanos Frisios*; Quasi Libero Populo sua adimere nefas non fuerit. Sed de his suo loco.

XXVII. LISIDUNA.

IN Litteris Caroli M. IↃ CCLXXVI. Villa Prætoria est, ad sinistram *Hemi* ripam in Pago *Flebite*. In Diplomate Anfridi Episcopi Traj. anni CIↃ VI. LOYSDEN. Hodie LEUSDEN vocatur, unis passuum millibus supra *Amisfordiam*.

XXVIII. LIVEMUNSTER.

HUjus meminit Anfridus Episcopus Traj. in Diplomate anni CIↃ VI. inter **Masemunster** quidem & *Leyre*. Cæterùm uti modò ab *Ermelô* ex Pago *Felua* saltum fecit ad *Mosæ* Ostium, ità inde in Pagum *Flebite* resilire videtur, ubi *Leva Vallis*, cujus Fanum LIVEMUNSTER dictum arbitror M. P. XV. supra Trajectum, IV. supra *Batavodurum Vicum*.

XXIX. LIIWART.

ITa sæpiùs in Membrana Trajectina, & omnium primò ad annum cIↃ CCXXVII. nec aliter Indigenæ hodiè pronunciant. Urbium, etiam tunc, numero ponitur, sed ordine tertia, quæ dudum *Frisiæ* inter *Flevum* & *Lavicam* Metropolis. Menco Werumensis Abbas ad annum cIↃ CCXLVII. mentionem quoque facit Civium de LIWERTH. In Tabulis (a) anni cIↃ CCC. scriptum reperitur LIEUWERTH, quô vocis origo clariùs elucescit: A **Lieu** scilicet seu **Leeu**/ Viri nomine apud Frisios vulgari, & **Werth** Insulâ seu tumulo inter campos sæpiùs vadosos, à quo, tot circum locis denominatio; quia ejus ferè conditionis, ut editis insideant, contra exæstuantem Oceanum, excitatis. Hodie à Mari longius; Olim dum *Borneda* sinus erat, ab intimô ejus recessû & Oceano æquidistans; Non modo *Oostergoæ*, in qua situm obtinet, sed reliquarum omnium, totâ Regione, maxima & copiosissima, soli etiam ubertate vix alteri cedens. LEOVARDIAM vocare amant, qui Latinè scripserunt.

(a) Ap. Scotan.

XXX. LOBEDE.

CElebre Telonium est, ad Vicum hodie etiam LOBET & LOBEK dictum, paullo infra *Rheni* primum divortium, dextra in ripa, prospectantem Publicanorum Ædes, vernacule **Tolhuys**/ quæ nunc sunt in adversâ, intra *Batavorum Insulam*. Hoc cùm abuteretur *Gelrensis* Comes, penitus ipsi interdictum est, omni ad *Rhenum* Telonio; De quo exstant (b) Friderici II. Imp. Edicta bina. Receperunt tamen, vel denuo usurparunt, illud jus *Gelrenses*, donec ad *Clivenses* transiit.

(b) Ap. Hedam in Ottone II.

XXXI. LODE.

LOcus *Tolæ* vicinus, ad quem Tolani concisi à Joannis II. milite anno cIↃ CCC. narrante Stokio (c); Qui TER LODE, id est, AD LODAM vocat. Videtur esse **Schaker-Lo**: uno à *Tola* milliari.

(c) In Joanne II.

XXXII. LONARALACA.

HOdie LOENERSLOOT M. D. passibus à læva *Vechtæ Citerioris* ripâ, Ab Urbe *Trajecto* X. Inventarium Bonorum Ecclesiæ Trajectinæ ejus meminit. *Laca* igitur illo tempore, non tantùm flumen, ut alibi, notavit, sed quasvis aquas, etiam Fossas, quæ nobis **Sloten**.

XXXIII.

Digitized by Google

XXXIII. LONA TRAJECTINA.

LOcus ad *Vechtam* Citeriorem, nominis retinens LOENEN Trajectina dici poterit ad differentiam *Lonæ Felaviensis*. Cessit ex bonis publicatis Hattonis Comitis, cum universo illius Comitatu, ad utramque fluminis ripam Ecclesiæ *Trajectinæ*, dono Ottonis M. Imp. anno IↃ CCCCLIII. Meminit quoque ejus Rithmographus. (*) (a) In Florent. V.

XXXIV. LONA VELAVIENSIS.

PAgi Flevani seu *Feluæ* Villa Prætoria est, servans nomen LONEN. M. P. VI. à *Zutfania*. Rotgarius Comes hujus donum fecit Alfrico seu Alfrido Tr. Episcopo anno IↃ CCCXXXVIII.

XXXV. LOON.

IN Charta Werdensi scriptum legitur; *Dabunt ad servitium Abbatis atque ejus Advocati, dum intrant Frisiam statuto tempore, in LOON V. solidos*. Utique dicendum foret *Frisicam Loam* seu Frieſche-Lo in *Westerwaldiis* hic designari: nisi de reditibus per *Trentam* & *Trentowaldam* unicè esset sermo; mox sequentibus; Dalen, *Arnuloe*, *Glemmene*, nimis quàm remotis à *Westerwaldiis*. Igitur *Trentonum* viculus dicendus videtur, qui propè Rolðam hodieque LOON vocatur M. P. XIII. ab Urbe *Groningâ*.

XXXVI. LOPPESHEM.

PRæinsignis *Fivelingiorum* Vicus, celebris Fani incendium passus CIↃ CCXVII. Hujus Decani & Præpositi, apud Werumenses utramque paginam implent. Nobis hodie LOPPERSUM vocatur. Abest *Groningâ* M. P. X. in ortum æstivum. Inventarium Bonorum Trajectinæ Ecclesiæ meminit alterius LOPPISHEM circa oras *Rheni*, contractè Lips hodie dicti, M. P. III. à *Lugduno* in occasum hibernum.

XXXVII. LOPSEN.

THeodoricus Holl. Com. in nobili Diplomate suo anni CIↃ LXXXIII. & ex illo Stokius, recensent LOPSEN non longe à *Maerne* Elice, inter dona ad Ecclesiam *Hecmundanam* ab Arnulfo Comite profecta. Si non ipsum Lochorst; in proxima certè vicinia fuit.

XXXVIII. LOSDUNUM.

Monasterium est à Mathilde Brabantina Wilhelmi Imperatoris Matre constructum, teste Beka (a) ad annum cIↃ CCLXVII. M. P. II. ab *Haga Comitis*, *Mosam* versus. Florentius V. Holl. Com. ejus mentionem fecit in Diplomate (b) anni cIↃ CCLXXVII. quô prædia quædam, vicina Monasterio de LOESDUNO, ab Amita sua Margareta Comitissâ Hennebergensi, in extremis posita, se præsente & consentiente, duabus Pedissequis legata testatur.

(a) In Ottone III.

(b) Ap. Buxhorn.

Præcipua Loco fama est, ab insulsa fabula, duobus post seclis confictâ; De portentoso dictæ Margaretæ partu CCCLXV. infantum, heic unâ horâ editorum, cum ipsius Matris exitio. Quam vel solâ subticentiâ refellit adductum testimonium Florentii, qui morienti Amitæ Testatrici astitit. Præterquàm quod Stokius, qui illo tempore in *Hollandia* vixit, ne verbulo quidem tanti miraculi indicium faciat. Neque Beka Trajectinus, qui hunc, sequenti seculo excepit. Neque quisquam alius ante Seculum XV. Dilutius est falsitatis argumentum, quod nonnulli petunt à Guidone, fictorum embryonum conficto Baptista, Trajectino Episcopo; quia illo anno, non Guidonem, sed Joannem Nassavium Trajecti Episcopum fuisse, controversiâ caret. Cùm Fabulæ Patronis regessisse suffecerit; Vicarium repræsentasse Episcopi personam.

XXXIX. LÔVENEN.

Ita appellat Henricus III. Imper. in Diplomate anni cIↃ XLVI. *Feluæ*, vel, secundum Cæsarem, *Amelandiæ* locum, qui *Staveræ*, *Isalam* versus, ad ortum est. Hodie LONENSE VENEN. paullò longiùs à *Daventriâ*, quàm à *Zutfania*.

XL. LUDIBRUNDKIRCA.

Villam *Orientalis Broekæ* appellat Continuator Menconis, cujus & *Astawaldam* & *Sierdakircam* fuisse refert, adeoque Vicum *Veteris Præfecturæ Majoris*. Anno cIↃ CCXCVI. nondum *Dullarti* fluctibus haustum.

XLI. LUDINGKERKE.

Membrana Trajectina memorat hujus Præsulem præcipuæ auctoritatis, apud Westergoos/ ad annum cIↃ CCXXX. Abbatia fuit *Franekeranæ* Præfecturæ, fundata, teste Emmio (c), circa annum cIↃ CCLXV.

(c) Rer. Frif. Lib. VII.

cIↃ CCLXV. Hodie Loco nomen *Ludinga-Kerke* M. P. II. à *Franekera* in occasum. Ludingmannorum opus vulgò creditur.

XLII. LUNSCROETH.

Locus Prœlii commmissi cIↃ CCXCVI. inter Menaldæos *Hellumenses* & Haigingios *Slochteranos*, Authore Werumensi Monacho æquali. Quæ loci conditio ? qui situs ? nec ille indicat, nec perditum vocabulum indagare sinit. Hoc saltem probabile, haut longe abfuisse à Pugnantium sedibus.

XLIII. LURICHE.

Villa vocatur (privatam puto) in Litteris Ottonis Episcopi Trajectensis anni cIↃ CCXXVIII. [lege XXVI.] quæ spectat ad *Haltensem* Parochiam, cujus Decimæ, contra *Goyensem* Comitem, addictæ sunt Ecclesiæ S. Mariæ Trajectinæ : Nomen in confinio *Houtenæ Interlacensis* Pagi (si idem sit quod *Haltna*) non ampliùs exstat. Fortè eadem cum LORECH Inventarii Bonorum Trajectinæ Ecclesiæ.

I.

M

I. MAERNE.

FLumen vocat Theodoricus V. in Diplomate anni CIↃ LXXXIII. Quod nomen illa ætate, aquis promiscuè dabatur: Est autem rivulus, Elicem vocat Junius, *Lugduno* ad Lacum *Caganum* ducens, nominisque retinens.

II. MALBURCH.

ANtiquissimum Castrum in superiore *Bathua*, è regione *Fossæ*, quam Drusus à *Rheno* ad *Salam* duxit, ubi quondam Romana *Castra* ab *Hercule* cognominata; de quibus Parte I. Hodie nil nisi fundamentorum extant reliquiæ, quas Dicione tenet Dux *Clivensis*. Suos olim habuit Dynastas, Gentilitio nomine *de* Malberch / Malburch & Malberge / uti in Diplomatibus Conradi III. Imp. CIↃ CXLV. Friderici I. CIↃ CLXV. & aliorum.

III. MALSNA.

VIci duo sunt MALSEN nomine, *Lingiæ* alveo separati M. P. II., & paullo longiùs, infra Opidum Buren. Horum alterutrum vel utrumque significari in Tabulis Donationis factæ Ludgero Episcopo Trajectensi anno IↃ CCCL. vix dubium est. In Diplomate Ottonis III. IↃ CCCCXCVI. legitur *Malsme*. In alio Lotharii II. CIↃ CXXXIV. MALSUM. Hodie vulgo Gelder-MALSEN & Buren-MALSEN.

IV. MARCHESHEM.

IN pervetusto Inventario Bonorum Ecclesiæ Trajectinæ, hoc nomine Locus annotatur. Videtur designari Insula exigua, quæ Sinui *Monachodamensi*, vulgò De Goutzee / objacet. Vix enim est, quòd accipi poterit de Vico cognomine MARKEN vel MARKSHEM, qui superest parte Septentrionali *Waterlandiæ*: Cùm in Catalogo Vassorum Traj. Regio illa universa S. Martino asscribatur.

V. S. MARIÆ HORTUS.

EMo Werumensis Abbas, ad *Lavica* orientem degens anno cIↃ ccix. hoc Cœnobium vocat ORTUM *B. Virginis trans Lavicam*. Et anno cIↃ ccxxiv. ejus Antistitem, Abbatem Ordinis Præmonstratensis. Extant & Litteræ ad hujus Loci Abbatem, à Capitulo Coloniensi, Papa Honorio, & Conrado Portuensi ejus Legato, apud Emonem. Vernaculè MARIEN GAERDE, *Ferwerderanæ* Præfecturæ in *Oostergoa*, ad fines *Westergoa*, M. P. V. à *Leovardia* in Septentriones. Hujus fundationem refert Menço Werumensis, in Vita Emonis, ad annum cIↃ clxv. Sibrandus verò Abbas VI. à S. Frederico, erectam Capellam, fossamque Horto Mariæ circunductam narrat (a) Anno cIↃ clxiii.

(a) In Vita Frederici cap. II.

VI. MARNA. MERNA.

DUdum *Hunsingiæ* insignis portio fuit, antiquissimè Comitatus seorsùm, mendosè MERMO, MERME. MERMA. dictus in Diplomatibus Ottonis M. Imper. IↃ ccccLXX. Ottonis III. IↃ cccc xcvi. & Lotharii II. cIↃ cxxxiv. Servat nomen ad *Portum Marnamanem*, ita ab hisce Accolis haut dubiè dictum, apud Ptolemæum, non *Manarmanem*, uti habet vulgata scriptio; Cui hodie nomen Manweertse / à *Lavica* influente. Sed de hoc satis Parte I. MERNÆ mentio est apud utrumque Antistitem Werumensem. Emo MARNENSES *Groninganorum* fœderatos, bellatores vocat; Et illorum Præsulem anno cIↃ cciv. Priorem Cœnobii S. Joannis Euangelistæ. Menco Abbatem de MERNA. Sibrandus Mariægardensis Tadoconem S. Frederici Discipulum, Cœnobii in MARNE trans *Lavicam*, Fundatorem facit. (b)

(b) In Vita Frederici cap. II.

VII. MARSNA ad Fechtam.

ITa in Inventario Bonorum Traj. In Litteris *Agrippinensium* anni cIↃ cclxii MAERSEN. Quo nomine hodieque cluet ad sinistram *Vechtæ Citerioris* ripam M. P. IV. infra *Trajectum*.

VIII. MARSNA seu MARSANA ad Mosam.

MEnapios minorum Gentium transrhenanarum turbam, diu utramque *Mosæ* ripam coluisse; & de suo, plurimis in circuitu locis, fecisse nomen, in Meer contractum Parte I. ostendimus. Hujus

generis esse & hunc locum prope *Mosam*, ipsum vocabulum suo se prodit sono. Qui ejus disertim meminit est Regino Prumiensis Abbas, narrans: Ludovicum & Carolum Fratres, Pii FF. dividundo Lotharii regno, venisse cum Proceribus quemque suis ad MERSENAM vel MARSANAM; pro quo Pithœus in suo Aimoïno ejusve Continuatore (a) SMARNAM edidit, cùm Francica dialecto MARSNAM, transpositis litteris, dicere debuisset. Rem ipsam, autem haut paullò distinctius retulit ille Francus; Ludovicum nempe ad MARSNAM seu MARSANAM processisse; Carolum verò ad *Heristallium*, atque in meditullio earundem V. Kal. Augusti collocuros consensisse in illas divisionis conditiones quas articulatim recenset.

(a) De Gest. Franc. Lib. V. c. 25.

MARSANAM situ ad *Mosam* fuisse Regino Author est, Er satis confirmat idem Francus; MARSNAM *Heristallio Mosæ* imposito vicinam faciens. **Meersen** hodieque vocatur, Vicus non ignobilis ad *Gulam* amniculum M. P. II. à *Mosæ* ripa proxima, ab *Heristallio* XIII. Chronicon Magnum addit; *MERSANAM illam juxta Mosam sitam, prope Trajectum in Dominio de Valkenburg*; quod nunc VII-Fœderatorum Provinciola est. Gerberga Ottonis Magni Soror, anno LXXXX. post dictam Lotharingiæ partitionem, instituit eâdem in MERSENA illustre Collegium sacris operantium, quod Præpositura appellatur in Chronico M. Belgico ad annum CIƆ CCCCLX. Cæterò cum prædicta Partitio, Germaniæ Cisrhenanæ Galliæque novos posuerit terminos, vel saltem, distinctiùs descriptos, eosdem hîc exhibuisse illuminatos nemini fastidio fore putem; Suprema autem Germaniæ Regio ad Meridiem indicatur *Basalchowa*, id est, Basiliensis Diœcesis cum *Saladoro*. Mox infrà contra Solem Occidentem *Elisatii* Comitatus terminales duo *Pfirt* nempe & *Montbelgarde*; Cum parte Burgundiæ Montanæ; ubi *Faverniacum* & *Horrea* [*Granges*] & *Villa Offonis* [Villafans] &c. Deinde ipsa *Elisćowe* sive Alsatia, ad *Selme* seu *Salm* usque, qua prope Saravus oritur. Tum *Sarachowa Superior*, id est, Agri ad Saravum Superiorem. Post hos *Nithachowa*, seu Agri ad Nidam fl. Porrò *Mettensis Civitas*, & *Comitatus Moslensis*, hodie Theonis Villæ; atque hinc *Locus* in *Arduenna* ubi *Urca* [**Ourt**] *flumen surgit atque decurrit in Mosam*. Denique *ipse Mosa*, cujus ripæ dextræ, juris Germanici prætexuntur; *Superius*, *Luigæ*, id est, **Luikers**/ *Liegeois, qui ab hac parte*; & *Districtum Trectis*, seu territorium ad Mosæ Trajectum, **'t Land van Overmase**/ Ubi hæc nostra MARSANA; *Inferiùs Comitatus*, **Testerbant**/ ubi hodie **'t Land van Bommel / van Altena ende Biesbos**; Infimè *Pars Frisiæ*, trium media, in qua mox sub Crasso Imp. ad ipsum Ostium surrexit Comitatus Gerolfi Hollandiæ Principum Archegi. Quicquid citra hos fines, Gallici factum est juris, atque intra quoque *Condrustii* particula, *Urcæ* ad orientem, unà cum Abbatiis *Pramia* & *Stabola*, principalis hodieque dignitatis.

IX.

IX. MASALANDA.

INventarium Bonorum Ecclesiæ Trajectinæ omnes hujus Terræ Decimas S. Martino asscribit. Theodoricus V. Holl. Com. Bona quædam in MAESLAND à Sciplúide ad *Mosam* Ecclesiæ Hecmundanæ tribuit anno cIↃ LXXXIII. Wilhelmus I. in Diplomate anni cIↃ CCXXII. *Flardingam* MASLANDÆ jungit. Retinet nomen ad *Mosæ Ostium* inter *MAESLAND*-Sluys/ & *Oceanum*. Est & alia MASALANDA ad *Mosæ* superioris lævam, ubi ejus primæ cum *Vahale* coitiones.

X. MASEMUNSTER.

IN Diplomate Anfridi Episcopi Traj. anni cIↃ VI. loca, tam variè & longè, dispersa memorantur; ut ex conjunctione vocabulorum, sitûs vicinitatem asserere non liceat. Veluti Ecclesiæ in *Ermelô Felaviensis* Pagi, jungitur hæc altera, quæ *Mosæ* vicina ipso agnomine indicatur. Est autem, non longè à *Mosæ* & *Vahalis* communi ostio, secundùm Wilhelmi II. Holl. C. Diploma anni cIↃ CCXLII. MONSTER vicus, ad quem repertum vidimus Parte I. Columellam milliariam Divorum Fratrum. Hunc ab Episcopo hîc designatum, vix ambigi poterit. Frequens passim mentio est Dynastarum Cognominum. Est & *Masmunster Alsatiæ* Superioris Monasterium, sed à Masone Patrono sic dictum. De quo Aimoinus Contin. ad annum IↃ CCCLXX.

XI. MATLINGE.

FLumen appellatur Theodorico Com. in Diplomate decantato cIↃ LXXXIII. *Harga* rivulo proximum. Stokius scripsit MATTINGE; Ita ut appareat MAT vocabuli partem potissimam fuisse. Unde suspicer eundem significari rivum, qui hodie *Scia* vocatur, in cujus ripa Arx MATTENES à veteri fluminis vocabulo sic dicta.

XII. MEDEMELACHA.

FLumen vocatur, sed ejus generis cujus *Chimelosara*, uti suprà ostensum. Lacus nempe oblongus, à *Medenblecâ* per *Salam* inferiorem in humiles agros procurrens, qui hunc inter & *Chimelosaram* medii fuerunt, atque largitione Ottonis III. Imp. anni IↃ CCCC LXXXV. Dicionibus Theodorici II. annumerari coeperunt. Lacus ipse Sinu absorptus, dudum esse desiit.

XIII. MEDENBLEC.

Villa & Ecclesia in *Occidentali Fresia* vocatur in litteris Godeboldi Episcopi Tr. anni cIↃ cxviii. quibus Ecclesiæ S. Martini tribuitur, cum omni censu & *Circatu*, id est, pecunia solvi solita Ecclesias visitantibus, quos *Circatores* dixêre. Si Circulatores vocassent, Populum argento emungentes, & verè & Latinè fuissent locuti. Trajectenses sibi etiam asscripserunt Regales Decimas in MEDEMELAKE in Inventario Bonorum suorum: Quantô antea tempore jam Villa fuerit seu Opidum, nullâ probata auctoritate cognoscere licuit. Nomen traxit à flumine vicino *Medemelacha*, uti vocat Otto III. Imp. seu veriùs Lacu, humilia inter prata, quæ Frisiis MEDEN. Hujus Villicus, quem recentiores Balivium dixêre, omni *Westfrisiæ* strictè dictæ præfuit; Arcis simul, à Florentio V. anno cIↃ cclxxxvii. coërcendis *Frisiis* conditæ, Burchgravius, teste Stokio. Hodie Opidum, privilegiis par *Hornæ* & *Enchusæ*, potentia longè inferior. Jam non ultrà ad Lacum exiguum, seu flùvium; Sed ad *Oceani* ingentem Sinum, contra quem immensi operis aggeribus præmuniendum est. Distat *Stauria*, intercedente Sinû, M. P. XV.

XIV. MEDUA.

ITa vernaculum MIDDEL-AAR fortè verterunt. Habetur hoc nominis in Tabulis Baldrici Viri Nobilis, quibus sua omnia inter *Rhenum Bicornem* & *Mosam*, transtulit in Ecclesiam *Trajectinam* anno IↃ cccl. modicis reditibus, vitæ traducendæ, ab Episcopo receptis. Est autem MIDDEL-AAR Vicus & Arx, in dextra *Mosæ* ripa inter **Kuik** & **Gennep**/ quæ adversæ sunt.

XV. MEDUM.

PAgus vocatur Sibrando Mariægardensi in Vita B. Frederici Abbatis I. (a); non *Villa*; quia fortè Prætoriâ dignitate carens. Puerum in eo à Frederico resuscitatum narrat. *Pagi* autem latissimam significationem ad Vici angustiam jam redactam fuisse ætate Sibrandi seculo XII. vel hinc discimus. Vicus enim designatur eodem planè nomine perennans M P. II. à Leovardia ad aquilonem.

(a) Fine omninò.

XVI. MEGENE.

OPidum ad *Mosæ* sinistram ripam, eâ *Brabantiæ* parte, quæ hodie sub mansuetudine VII-Fœderatorum, vulgari vocabulo OUT MEGEN, quo distinguitur à *Noviomago* seu **Nieu-megen**/ antiquitatis prærogativam sibi vindicans. Dynastas semper habuit suos, tandem

dem & Comitis dignitate: Mentio illorum frequens est in Diplomatibus; speciatim in duobus Conradi III. Imp. anni CIↃ CXLV.

XVII. MELOERDE.

STatio navium hoc nomine fuit prope *Medenblecam*, in qua Florentius V. *Frisiis* parùm fidens, tam diu in ancoris stetit, donec Castellum, quod contra Urbem totamque Regionem moliebatur, modis omnibus fuerit perfectum. Vide Srokium ad annum CIↃ CC LXXXVII.

XVIII. MENKE.

IN Charta Werdensi, inter *Waldas*. seu Silvas ad *Groningæ* aquilonaria, fit mentio MENKE; Et est hodieque hac prope Vicus MENKEWEER in *Hunsingia*. M. P. VIII. ab Urbe.

XIX. MENKENESDRECHT.

SEcundum descriptionem Henrici IV. Imp. in Diplomate anni CIↃ LXIV. eo ferè loci fuit, ubi hodie Papendrecht Vicus non ignobilis, à Mencone Sacerdote nomen promiscuum, uti videtur, sortitus. Est autem è regione *Durdrechti*, ultra *Merwedam*.

XX. MENTERAWALDA seu SILVA.

UNus ex præcipuis *Menternensium* Vicis *Dullartô* haustis. Ejus frequens mentio est apud Werumenses Abbates, atque in vetustis scriptis aliis.

XXI. MENTERNA.

MENTERNÆ in Statione fuit, anno CIↃ CCXXIV., Oliverus Crucis Prædicator narrante Emone. Emmius noster ([a]), in vetusto Codice scriptum se invenisse affirmat; Cœnobium ibi fuisse Cistertiense, à Cucullis cineritiis Grisemonken vulgò dictum, quod nomen etiam hodie in *Veteri Præfectura Minore* ad Dullarti oram occiduam superest. Anno CIↃ CCLXXVI. super hac digladiatum fuisse inrer Familias Groninganas Folkringe & Gaddinge [Folkringones & Gardringones vocar] Author est qui Menconi pauca adjecir Monachus æqualis.

(a) De Agr. inter Amas. & Lav.

XXII. MENTERNENSES.

SIc dicti fuerunt, qui *Veterem Præfecturam* Minorem incolunt; Hi sub annum CIↃCCI. cum *Silvanis* seu Majoris Præfecturæ Incolis, prælio

adeo memorabili decertarunt; ut inde Æram numerare Menconi placuerit. Annum enim Æræ Chr. CIↃ CCXXX. fuisse ait XXIX. Concertationis inter *Menternenses* & *Silvanos*. Anno CIↃ CCLI. Gelekingiæ Factioni se adjunxêre in obsidione *Groninga*: Haut diu post, *Dullarti* rabie in maris Sinum versi, superstitibus non nisi Vicis V. ex tenuioribus. A *Munta* recentiore Arce, quæ ad *Ehe* amniculi cum *Amisia* confluentes fuit, MUNTANI posteà dicti. Hodie Nieuw- & Klein-Oldampsters.

XXIII. MERRUM.

Vicus est *Ferwerderanæ* Præfecturæ in *Ostrogoa*, medius inter *Hallum* & *Ferwert*. Pagus Sibrando Mariægardensi (a) dictus [contra quam hactenus solitum] in quo puer virtute Frederici Abbatis resuscitatus è mortuis, uti quidem ille credulis impositum voluit, ad celebrationem sui Cœnobii.

(a) In Vita Freder. fin. omnino.

XXIV. MERWEDE.

Postquàm *Mosa* & *Vahalis* per alveum, à Woudhoven ad *Loevestenam* ductum, eodem sinu aquas recipere cœperunt, Utrique MERWEDÆ nomen, commune factum est: Atque huic peculiariter relictum, ubi ad *Leckiam* ipsi via facta apud *Dordrechtum*, donec ad *Flardingam*, secum devectis *Leckiâ* & *Isla*, iterùm cum nupero Socio, in eundem sinum colligitur. Quòd Fossarum, per quas hæ factæ conjunctiones, Merovæus Francorum Rex Auctor fuerit, absque legitimo testimonio, vulgo credere non ausim. Perantiquæ sanè sunt, nec recentis operis, jam seculo X. cognitæ ex Litteris *Striæ* Comitis, anni IↃ CCCXCIX. ubi MERBATA scriptum. Pro quo tamen in Actis Sanctorum (b) legitur MOERWATER. & pro anno IↃ CCCXCIX. IↃ CCCCXCII. Rursus ex Diplomate Henrici IV. anno CIↃ LXIV. Meminit quoque Stokius (c) MERWEDE ad annum CIↃ LXXVI. Fuit & Arx ejus nominis cum Comitatu ex laciniis *Teisterbantiæ*, de quo bella plura inter Hollandos & Trajectinos; Hodie Sinû Biesbos conditur, superstite in ruderibus nomine inter vada.

(b) Vita Ansfridi.

(c) In Dider. V.

XXV. MI.

Palustris terræ tractus est M. P. X. à *Trajecto*, ad occasum hibernum, Fossâ distinctus ab agris *Kamerkæ*. Hodie De My-zyde. Mentio ejus fit in Litteris Andeæ Episcopi Traject. anni CIↃ CXXX. [verè XXXI.]

XXVI. MIDACH.

EX his, qui ſub Imperatoribus Suevis, vel ante, conſignata ſcriptis reliquerunt, Primus, Otto M. Imp. in Diplomate anni Iↄ cccc lxx. meminit Comitatûs MIDAGE, in *Friſionibus* illâ parte, quâ & *Huneſgô*, & *Merna* & *Fivelgô*, emendatâ ſcriptione, continentur. Emo ſcripſit MIDACH, Vocabulum hodie renatum, atque tertiæ particulæ Regionis, quæ inter *Amiſiam* & *Lavicam*, *Groningæ* ad occidentem eſt, tributum; vulgò Medachſter-Deel vel Middachſter-Deel. Ambitu complectens quioquid *Langewaldiis*, *Huneſæ*, & ſuburbicariis ptatis, vulgò Stats-hamrik interjacet. Uberis glebæ circumquaque & maximam partem in Dicione quondam Præſulis Adewerthani. Nominis originem habere videtur à ſitu; quia *Hunſingia* ad meridiem, vernaculè tegen Middag. Cognoſcitur enim ex antiquis monumentis pluribus; arctiorem olim cum hac ſocietatem coluiſſe, quàm cum *Langewaldiis* & *Fredewaldiis*, quibuſcum hodie Pagum ſeorsùm conſtituit.

XXVII. MIDDELBURCH WALACHRIÆ.

NOn *Walachriæ* tantùm, ſed totius *Zelandiæ* Metropolis ampliſſima & copioſiſſima. Nomen habet à ſitu mediterraneo; Et, poſt ortam *Fliſſingam*, mediô quoque inter hanc & *Veram*. Per Foſſam M. D. paſſuum ex Urbe ductam in Euripum, qui *Walachriam* & *Bevelandiam auſtralem* ſeparat, maximas Navium Oceano cognitas, intra ipſa mœnia admittit & Statione recipit.

Seculô XI. jam opibus affluentem fuiſſe indicio eſt, Canonicorum, quos ſaginaverat, enormis laſcivia, regulis nullis coërcibilis; adeò ut ignava & obeſa pecora, à paſtu abigere neceſſum habuerit Trajectinus Epiſcopus: Illorum in locum Antverpiâ adductô Candidô Ordine, amictû tenus ſaltem, qui ſui Auctorem Angelorum Principem Michaëlem ementitur. Id factum narrat Beka (*) anno cIↄ cxxi. Hujus verò Abbas potentiâ & authoritate brevi omnibus ſuperior, tandem primum locum inter *Zelandiæ* Patres invaſit. Anno tamen cIↄ ccxiii. Dunenſi & Tolenſi adhuc locum ceſſiſſe indicatur in Diplomate Wilhelmi I. Holl. Comitis. (*) In Godebaldo.

Florentius Wilhelmi Imp. frater, Hollandiæ Tutor, qui ludicro certamine vitam profudit, MIDDELBURGI tumulatus traditur Stokio, anno cIↄ cclviii.

Firmiſſimæ munitionis quondam fuiſſe luculenter probant ſæpiùs propulſatæ obſidiones, de quibus Stokius ad annum cIↄ cclxxxii. & cIↄ ccxcvi. Mentio denique MIDDELBURGI eſt in Diplomate Florentii V. Hollandiæ Zelandiæque Principis, anni cIↄ ccxc.

XXVIII. MIDDELBURCH WESTFRISIÆ.

CAstellum *Westfrisiis* objectum, ad aggerem qui *Alcmariâ Fronam* ducit; ita dictum, quia medium inter **Coorneburch** & **Openburch**. Florentius V. Operis Auctor traditur Stokio & Bekæ (a) Retinet nomen.

(a) In Joanne I.

XXIX. MIDLESTUM.

HUnsingiorum Vicus, maxime insignis quondam Sacerdotum collegio & Decani auctoritate, quam celebrant Werumenses; Opiduli pænè formâ, solo satis felici. M. P. VIII. in arctum ab Urbe *Groningâ*.

XXX. MIDRECHT.

PErmutationis Tabulæ anni CIƆ LXXXV. indicant; Locum præcipuum esse in Paludibus, quæ Episcopatum & Comitatum limitant. Nomen hodieque custodit M. P. VI. ab *Abekewaldâ* in ortum æstivum. Meminit quoque ejus Membrana Trajectina ad annum CIƆ CCI.

XXXI. MIDWALDA.

FAnum est ingentis sublimitatis, in crucis formam structum, cum IV. Turribus, totis ad summitatem Lapideis, sub se complexum amplissimum terrarum tractum, cujus pars maxima & melior in Sinum conversa. Fanum ipsum diu fluctibus ab omni parte pulsatum, hodie in uberrima gleba superest, turrium unâ nuper collapsâ. Monumentum antiquitatis illorum temporum imprimis stupendum. *Præfecturæ Veteris* est. M. P. XVI. ab Urbe in ortum. Continuator Menconis ad annum CIƆ CCLXXXIX. MIDDEWALDAM vocat.

XXXII. MOCKOROTH.

VIcus est, ubi quondam *Foresta* seu' Silva, ad ipsos *Hemi* fontes, hodie, ni fallor, WEEKROM dictus. Cujus donatio facta Ecclesiæ *Trajectinæ* à Carolo M. anno IƆ CCLXXVI. unà cum Vico WIDOK hodie ignorato.

XXXIII. MOERDRECHT.

FOrum est *Isla* Citerioris dextro lateri accubans, cum Telonio. M. P. III. infra *Goudam* Urbem. Custodit nomen. Meminit ejus Florentius IV. Holl. Com. in Diplomate (b) anni CIƆ CCXXIII.

(b) Ap. Buxhorn.

XXXIV.

XXXIV. MOERMONT.

Arx Rinessiorum in *Scaldia*, Joanni Toparchæ, conjurationis in Florentium Principem Reo vel suspecto, vi extorta & solo æquata, anno CIↃ CCXCVIII. tradente Stokio. Vico superest nomen M. P. VI. à *Ziricsêa* in occasum hibernum.

XXXV. MOLENCAMP.

Describitur Wilhelmo Hollandiæ Tutori in Diplomate anni CIↃ CCXXXVI. Locus *Ostgestæ* ad aquilonem; Adeoque *Oceano* proximus nec longè trans *Rhenum* fuit, in *Rhenolandia* Ulteriore.

XXXVI. MONEMAWALDA.

Fivelingiorum certè Vicus est; quia Ædes Viri Primarii, qui bellum, inter *Hunsingios* & *Fivelingios*, concitaverat, in eô fuerint crematæ à Victoribus *Hunsingiis*, notante Emone ad annum CIↃ CC XXII. In utra verò Silva Australi vel Occidentali: nulla significatione proditur.

XXXVII. MONIKENDAM.

Tres sunt hodie in *Westfrisia* Urbiculæ, *Edamum*, *Monachodamum* & *Purmerenda*, quibus inter Augustos Reip. *Hollandiæ Westfrisiæque* Patres considere datum, licet vix aliquo loco sint inter *Westfrisicas* seorsùm. Harum media, heic sibi locum vindicat sola, duabus aliis ante Seculum XIV. incognitis. Situm habet ad *Flevonis* Sinum exiguum, vulgò De Goutzee / cui Insula ignobilis *Marka* objacet M. P. VII. ab *Amstelædamo* in ortum. Stokius semel ejus meminit ad annum CIↃ CCXCVII. Prætereaque nemo illorum temporum, quod sciam. Monachis, ob latifundia quæ sibi rapuerunt plurima, rei multum fuisse cum aquagiis & aggeribus nimis notum est: Consentaneum itaque, quòd Obici à Monachis, quorum operâ structus, Et Urbeculæ juxtà nascenti ab Obice, id est, Dam / nomen MONACHODAMUM factum fuerit.

XXXVIII. MONS LITTORIS.

Oppidum quondam ad *Veteris Mosæ* lævam ripam, quæ jam ora Sinûs Biesbos. Patrimonium vocat Otto II. Imp. Electæ Virginis, Beatissimæ Gertrudis, Materteræ Pipini, qui Carolum Martellum genuit. Cum verò heic nullum appareat Montis instar, crederem

derem Devotam Deo Virginem hoc sui secessûs loco, non longe à Cella seu Casula S. Amandi, ad MONTEM immotum & rupem fortissimam DEUM se confugere, cum S. Scriptura, dixisse; atque hinc natum MONTIS vocabulum, cui jam anno Iↄ cccxcix. accesserat LITTORIS, à situ ad flumen ingens. Ottonum seculo, eò etiam pertinuit aliquot Vicorum territorium, cum jure piscandi in *Mosâ* flumine. Hodie ipsi manet appellatio 's Gertruden-Berge/ pro quo Stokius ubique scripsit 's Gerden-Berge. *Striensi* Comitatui à Zuentibolcho Rege additum, Hollandicæ Dicionis Municipium etiam hodie est, *Durdrechto* & *Gorichemô*, pari ferè spatio distans M. P. IX. vel X.

XXXIX. MONS SANCTUS.

TRaditur in Chronico Belgico Magno, Bernulphum Trajecti Veteris Pontificem electum anno cIↄ XXVII. transtulisse in Metropolim, de MONTE SANCTO propè *Amersfordiam*, quandam Abbatiam Fraterculorum, tunc sub Præfectura Reverendi Patris Anfridi agentium. Cujusce fuerit instituti? non addit Chronographus. Vernaculum loci nomen Heyligenberg hodieque superest ad I. lapidem ab *Amesfordia* versus Vulturnum.

XL. MONTFORDE.

CAstrum munitissimum fuit in læva *Islæ* ripa M. P. VII. à *Trajecto*, Godefridi Episcopi opus, contra *Hollandos* excitatum circa annum cIↄ CLVI. Variè scribitur; In Membrana Trajectina MONTFORD. In Litteris Comitum Hollandiæ binis anni cIↄ CCIV. MONTFORT. Ab ipso loci Præfecto [Burchgravium se vocat] MUNTFOORT in Diplomate Ottonis Episcopi cIↄ CC XXVIII. [verè XXVI.] A Stokio (¹); Dat goede Huys te MONDFOORDE. A Beka *Montfordiense Castrum*. Ita ut ambiguum sit; Utrum rusticæ Francorum latinitatis vocabulum esse dicatur, quasi *Mons Fortis*, an verò vernaculum ex Mond & Forde compositum? quia *Isla* fortè eò loci, aliquando vadoso tramite pervius. Hodie *Trajectinæ* Dicionis tenuissimum Opidum est.

(1) In Florent. V.

XLI. MORTIER.

FIrmissimi operis Propugnaculum fuit ad *Arnum* rivulum seu fossam *Walachriæ*, *Middelburgo* tutando paratum; uti patet ex Stokio ad annum cIↄ CCLXXXVII. & cIↄ CCXCIX. Superest nomen, non opus.

XLII. MOSAWALA.

GElricæ Dicionis pars in Superiore Batavorum Continente, quam hodie terminat prima *Mosæ* & *Vahalis* coitio ad *Vornam* Insulam. Hoc nomine, à fluviis, quibus prætexitur, jam appellata à Gerhardo Gelr. Com. in Litteris anni CIↃ CC XXV. eôdem hodieque utitur **Mase-Waal.**

N

I. NALTWIC.

HUjus mentio est in Litteris Theodorici VII. Hollandiæ Com. anni CIↃ CXCIII. (a) Vicus non ignobilis, servans nominis, ad *Liera* seu *Liere* Rivuli principium, spatio pene æquali M. P. III. à proximo *Mosæ* & *Oceani* Littore. Quondam & Arcem habuit Gentis cognominis. (a) Ap. Buxhorn.

II. NARDINC.

ITa in Diplomate Ottonis III. Imper. IↃ CCCCXCVI. In Litteris Gerardi de Amestelle CIↃ CCXXXIII. vocatur Opidum. Hodie *Goylandiæ* Primarium. Quondam, dono Ottonis M. Imper. & Wichmanni *Zutfaniæ* Comitis, Abbatissæ Altenatensis seu Eltensis, unà cum territorio subjecto NARDINC-**Land**. Quod Godeleva Antistes postea transtulit in *Hollandos*, quorum hodieque Municipium est, stupendis nuper munitionibus auctum. Florentius V. in Litteris suis (b) CIↃ CCLXXX. testatur; accepisse quidem Majores suos à Godeleva, non modo **Nardingerlant**; Sed & **Emelant** / Verùm titulo oneroso. Quòd nomen habeat à proximitate Maris; L. Hortensius in Elegia sua elegantissima de *Goylandia* à Buxhornio primùm editâ, non tam asserit, quàm innuit; Sic canens: (b) Ap. Pontanum H. Gelr. Lib. VI.

Abbatissa, cui nomen Godeleva perenne
  Eltensis, quondam libera jura dedit:
Sed quia tunc Regio duris habitata Colonis
  Proventus Dominæ & commoda nulla tulit,
Transtulit Hollandum ad Comitem sua jura locumque,
  Sacraque cum sacris juncta profana dedit.

 Metro-

Metropolim hîc cernas, centum de littore passus,
Dixerunt NARDAM, qua ratione, latet:
Sed quondam PROPIOR pelago ——

Qua fide & pietate in suos Principes fuerint NARDENSES, luculenter prodidit illorum ardor in liberando & vindicando Florentio V. de quo Stokius ad annum cIↃ CCXCVI. Abest *Amstelædamo* M. P. XII. Trajectô XIV.

III. NIEMANTSVRINT.

LOcus Telonii munitus ad *Merwedam*, à rigida exactione sic dictus. Meminerunt ejus Adelheidis Hollandiæ Tutrix in Diplomate (a) anni cIↃ CCLX. Et Stokius ad annum cIↃ CCXCVI. & cIↃ CCXCIX. Hodie in Sinu Biesbos.

(a) Ap. Buxhorn.

IV. NIEUWENBURCH.

CAstrum in *Franloæ* seu *Vronæ* conspectu excitatum à Florentio V. talium Fabro assiduo in *Frisios*. Stokius modò Nyewendorp / modò Nuwenborgh.

Ad annum cIↃ CCLXXXVII.

Oec dede hy maken scone ware
Bi Vronen op die harde gheest /
Die *Nyewedorp* hiet. Doe was meest
Der Vriesen macht op dat ende.

Rursus ad annum cIↃ CCXCVII. & cIↃ CCC

\- - - Die Vriesen - - -
Quamen te Vronen op de Geest.
\- - - Die Grave - - -
Al tote bi der *Nuwerborge*.

Quod postremum hodie usu obtinet.

V. NYEWENDOREN.

W*Estfrisiæ* Castellum fuit, quod Florentius V. omnium postremum in *Frisios* molitus est, & imperfectum reliquit. Destructum postea à *Frisiis* anno cIↃ CCXCVI. Ex Stokii narratione, positura ejus fuisse videtur inter *Widenessam* & *Medenblecam*. Beka illud confudit cum *Enigenburgo*, quod, intra IV. lapidem à *Pethemensi* Ostio veteri, nomine tenus extat.

Digitized by Google

VI. NYEDORP.

STokio *Westfrisiæ* Vicus est, à Florentii IV. milite incendio vastatus anno cIↃ CLXXX. Idem & Beka illum jungunt *Winkelæ*; unde verosimile est, intelligi eundem, cui hodie nomen *Nyerop*.

VII. NYENSTEDE.

ECclesia fuit inter *Durum* & *Dirum Montem*; Hardenberge & Swamgbergene. Membrana Trajectina sæpius ejus mentionem fecit; sed illi inveterascere non licuit. Periit enim cum nomine.

VIII. NIEDAM. NODA.

INferioris *Rheni* alveo terrei Obices varii, quos Dammen vocant, injecti sunt, postquàm *Leckia* aggeribus muniri cœpit. Primus omnium ad *Dorestadium* seu Wick / superioris *Rheni* aquas omnes in *Leckiam* abigens: Hunc Imperator Fridericus I. *ut, ad removendam tam gravem aquarum perniciem* [sunt verba Edicti] *æternaliter inconvulsus in eodem statu permaneat & conservetur, sua jussione decrevit*, anno cIↃ CLXV.

Alter in loco, cui nomen Stichede seu Swadenburg / de quo, suo ordine.

Tertius, qui infimus & novissimus, ipsâ voce NIEDAM indicium faciente; In loco, nomine NODA. Fridericus I. Imper. Terream molem fuisse describit, haut procul à Mari, *Rheno* injectam, quam perfodiendam Accolis permisit; *ut Rheni aqua per eundem meatum, sine læsione in perpetuum fluat & decurrat in Mare vicinum*. Fueritne supra an infra *Lugdunum*? à nemine definitum comperi. Vicino tamen quodam in loco fuisse satis apertum est.

IX. NODA Fl.

PAlustris rivulus est, *Trajectinæ* & *Gelricæ* Dicionis, illa parte, terminus, paullo supra *Renum* Opidum, è regione Hoosteden seu Voersden / per montium crepidinem in *Rhenum* influens. Meminit ejus Membrana Trajectina ad annum cIↃ CXCVI. Item Gerardus Gelriæ Comes in Litteris anni cIↃ CCXXV. datis in NODA super ripam Rheni. Beka Ottonem Gelriæ Comitem, prælio victum à Theodorico Hollando, ultra NODAM profugisse, id est, suos intra limites, tradit; in Arnoldo & Theodorico Episcopis rivalibus. Grebbe hodie vocatur. Sed adhuc veteri nomine fuisse anno cIↃ CCCXXVIII. indicat in Litteris (a) suis, Joannes Comes de Benthem.

(a) Ap. Hedam in Joan. III.

X. NORTHA.

ARnulfus Imperator opibus auctum cupiens Gerolfum Frisium, quem Patruus Carolus Imperii Comitatu beneficiario ornarat; tribuit illi, ni fallor, reditus Dominicos omnes, qui intra Comitatûs ejus fines Imperatori colligebantur diversis in Villis, quas *Hobas* & *Mansas* vocat, cum ipsis *Curtilibus*, id est, Quæstorum Sedibus & Colonorum ædificiis. Has inter NORTHA primo loco recensetur. Hodie Groot-Noort & Kleyn-Noort in extremo angulo ad *Mosa* Ostium & *Oceanum*, communi vocabulo *Nortlandia* dicta.

XI. NORTHGÔ.

SIc vocat Henricus IV. Imp. in Diplomate anni cIↃ LXIV. Agros littorales, qui sunt inter Vorcholt & *Oceanum*. Ubi Illustrium Douzarum Villa Prætoria NOORTWYC & Noortwyker-hout. Inventarium Bonorum Ecclesiæ Trajectinæ habet quoque NORTHGO. Theodoricus V. Holl. Com. in Diplomate anni cIↃ LXXXIII NORGHA. Stokius [a] & Beka [b] NOERTICH, ille etiam NOERDIKE. Hic addit; fuisse Ecclesiam antiquissimam, ceu à *Normannis* vastatam.

(a) In Dider. II. & Arnoudo.
(b) In Hungero.

XII. NORTHORPE.

THeodoricus V. in Diplomate anni cIↃ LXXXIII. distinctionis ergò addere videtur, *super* Geest. Retinet hodie nomen NOORTDORP, sub collibus arenariis *Kinnemariæ* M. P. III. in occidentem ab Uytgeest / Vico non ignobili, circa quem loca plura recenset Princeps, à Sifrido vel Siccone Propatruo Abbatiæ *Hecmundanæ* donata, quorum nomina interiêre.

XIII. NOTHENSUM.

EMo Werumensis ad annum cIↃ CCVIII. meminit Eggardi de NOTHENSUM, Sacerdotis putem. Menco ad annum cIↃ CCLXVII. Riperti de NOTHENSUM Laici honesti. *Fivelingiæ* Vicus fuisse videtur in vicinia *Werumi* aut *Skirameræ*, cujus nulla supersunt vestigia, nisi sub alio nomine mihi hactenus incomperto.

XIV. NOVA ECCLESIA.

IN Litteris [c] anni cIↃ CCXXIV. Honorii Papæ III. & Capituli Coloniensis ad Tres Priores Ordinis Præmonstratensis per Frisiam Tra-

(c) Ap. Emonem.

Trajectinæ Diœceſeos, fit mentio Magiſtri J. Plebani in NOVA ECCLESIA, iterumque in aliis ad Epiſcopum Monaſterienſem, Magiſtri J. Scholaſtici de NOVA ECCLESIA. Ordinis Præmonſtratenſis Collegium hoc in loco fuiſſe ſatis hæ indicant litteræ: alio verò nomine dictam *Vallem S. Mariæ*, non obſcurè colligitur ex Litteris Conradi Abbatis Capitulique Generalis Præmonſt. ut & Legati Pontificii, eodem anno, eadem de re, ad Tres [non dubie] eoſdem Proviſores, perſcriptis, in quibus, qui ordine Poſtremus, Abbas de *Valle S. Mariæ* vel *B. Virginis* vocatur, loco Plebani & Scholaſtici NOVÆ ECCLESIÆ. Huic Collegas junxere Papa, Legatus, Capitula, Abbates de *Orto S. Mariæ* & de Dokkum ſeu *S. Bonifacii*, ſibi vicinos in *Ooſtergoa*.

Reperiuntur quidem hodie in hac vicinia *Novæ Eccleſiæ* duæ, vernacule Nykerk: Una ad tertium lapidem à Dokkum: alia ad ſecundum ab *Horto Mariæ*, in aquilonem ambæ; ſed apud neutram Ordinis Præmonſtratenſis Cœnobium, nedum *Vallis S. Mariæ* cognomine. Igitur veroſimilius eſt; per NOVAM ECCLESIAM hîc intelligi Fanum aggeſto tumulo tunc nuper impoſitum Nyewier nomine M. P. à *Dokkumo* propius, cui in plano ſubjacet Monachorum Præmonſtratenſium Cœnobium, *Sion* initio dictum, vulgò L. Vrouw ten Berge; & proximè ejuſdem ordinis alterum, Sororum, ſub Dokkumi mœnibus, appellatione oppoſitâ L. Vrouw ten Dalle; Apud hanc Vallem, inquit Emo (ᵃ), Sigardo Abbati dormienti naſum ſacrilega manu pæne præſcidit Canonicus quidam *de Horto S. Mariæ*. (a) Ad annum ↄↄ ccxxx.

XV. NOVA TERRA.

SIc in Membrana Trajectina vocantur Agri ex Sinu Born ſeu Borndiep/ jam illo tempore ↄↄ ccxxx recuperati circa *Bolſverdiam*, & in vicos plures partiti Decanatûs titulo, quo & ipſa *Weſtergoâ* inſignitur.

XVI. NUMAGA.

BAtavorum *Noviomagus* ad *Vahalim* eſt, de quo Parte I. Secutis hiſce ſeculis non minus celebris; nullis non illorum temporum ſcriptoribus dictus; ſed variâ ſcriptione, *Nuimaga*, *Neomagum*, *Noviomagum*, *Noviomagium*, Nyemagen.

Carolus M. Imperium nondum adeptus, vocat NUMAGAM Palatium publicum: Et mox NEOMAGUM recenſet inter præcipuas *Galliæ* Urbes.

Ludovici Pii victoriâ inclitum facit Marianus NEOMAGUM caſtrum, ſupra flumen *Vahalim*.

Zuentibolchus Lotharingiæ Rex, NUIMAGAM, Regium dixit Palatium in Diplomate anni Iↄ cccxc. item Regino Prumienſis.

Otto

Otto III. Imp. anno Iↄ ccccxcvi. NOVIOMAGUM Palatium scripsit. Wilhelmus Imp. anno cIↄ ccxlviii. (a) Castrum NOVIOMAGIUM.

(a) Ap. Hedam in Ottone III.

Regiam suam etiam hîc statuit Godefredus *Normannus*, quem *Frisiis* Regem dedit Carolus Crassus, instauratâ Urbe, quam incendio fœdaverant suæ Gentis Prædones anno Iↄ cccxxxviii. & ipse iterùm, auctam nuper firmissimis munitionibus secundùm Annales Fuldenses anno Iↄ ccclxxxi. Testibus Reginone & Sigebetto Gem. Zuentibolcho deinde, uti modo dictum, secutisque Imperatoribus, post exactos Normannos, denuò, Palatium Regium; Quod anno cIↄ xlviii. idem Geminiacensis à Godefrido Lotharingo incensum & irreparabiliter destructum tradit. Surrexisse tamen ex cineribus, sed Castri magis quam Palatii formâ, vel ex solo Wilhelmi Diplomate constaret, si maximè inventus nunquam fuisset Lapis, in quo hodie Instauratoris nomen legimus, Friderici nempe Barbarossæ.

Post ultimum hoc incendium Henricus III. Imp. Urbem, hactenus solis Imperatoribus reservatam, fecit clientelarem Theodorico II. Clivensium Comiti, saltem quod ad Castrum, quod Domum vocat, ob navatam operam contra Godefridum illum Gibbosum, intra *Noviomagi* mœnia Imperatorem obsidere ausum. Id, quod hæreditariæ Præfecturæ, seu Burchgraviatûs, haut dubie initium est, ab anno cIↄ lii. uti ex Diplomate Friderici I. Imp. anni cIↄ clxxii. (b) satis apertum est, quô idem Burchgraviatus, *Clivensi* ablatus, transfertur in Othonem II. *Gelriæ* Comitem, unà cum parte vectigalis pendi ibidem soliti. Aucta etiam hæc Donatio est ab Imperatore Wilhelmo, de quo jam semel & iterùm adductum Diploma.

(b) Ap. Pont. Hist. Gelr. Lib. VI.

Atque ab hoc tempore, *Gelriæ* deinceps accensita Urbs; totius Regionis Primaria semper fuit & adhuc esse perseverat. Multis nominibus nobilissima atque ante omnes splendida, maximis in primis privilegiis.

I. OCKERS-

O

I. OCKERSDORP.

VIcus *Kinnemariæ*, vel saltem Kinnemariis addictus, describitur Stokio (a) ad annum cIↃ CLV. Inventarium Bonorum Trajectensium habet *Accastorp*. Videtur designari, Oostdorp propè *Alcmariam* in Corum, vel Oudorp in plagam oppositam. Bekæ vocatur Opdorp. (b)

(a) In Dider. VI.

(b) In Hermans;

II. OLBRUG.

ITa in Diplomate Ottonis III. anno IↃ CCCC.XCVI. In altero Lotharii II. anni cIↃ CXXXIV. legitur OLBORCH. Et quidem rectiùs, vel saltem propiùs ad hodiernam pronunciationem ELBURCH. *Feluæ* Curtis tunc fuit, cujus pars media *Altinensis* Cœnobii. Neque Opidi formam, quâ hodie est, recepit ante finem seculi XIV. Assidet *Flevoni Lacui* M. P. X. à *Campis*.

III. OMERSEM.

MEmbrana Trajectina & Beka scripserunt quoque OMERSHEM & Othmersheim. Præantiquum *Tuentæ* Opidum est, Radbodi Episcopi Trajectini obitû ab anno IↃ CCCCXVII. nobile. Et iterùm gravissimo conflictu inter *Trajectinos* & Castellanum *Benthemensem* Ottonem Palatinum. Destructum & incensum à *Gelriæ* Comite anno cIↃ CXCVI. sed in proximo, ad IↃ. passus, denuò excitatum. Priori OLTOOTMERSUM; Posteriori OOTMERSUM etiam hodie nomen superest, haut longè à finibus *Benthemicis*, M. P. VII. à *Northorna*.

IV. ORTINA.

PRædium est seu territoriolum, quod Adelheyt Comitissa donavit S. Martino, anno cIↃ CLXXXVIII. Hodie ORTEN. M. P. I. à *Silva-Ducis*, *Mosam* versus. Philippus Imper. anno cIↃ CCIV. Orten vocat *Civitatem Ducis Brab. quæ nunc SILVA dicitur*. In Diplomate quodam apud P. Divæum Rerum Brabanticarum Lib. I. cap. 9.

V. OSTBROEC.

COenobium fuit Benedictinorum Fratrum & Sororum, conditum CIↃ CXXI. à Godebaldo Trajectino Episcopo in paluſtri ſolitudine, quæ Trajecto Orientalis, ipſo indicante vocabulo, quod hodieque loco tribuitur, III. ab Urbe lapide. Carcerem Ordinis cognominarunt, ob rigidam regulæ obſervantiam. Succeſſor Andreas, remotis à Staurienſi Eccleſia XII. Presbyteris indignis, illorum in locum hinc deduxit Colonos utriuſque ſexûs anno CIↃ CXXXII. referente Niveſienſi Canonico ex antiquis Trajectenſium Chronicis; Bekâ potiſſimum.

VI. OSTCAPELLE.

OFficium ſeu Præfecturam vocat Wilhelmus I. Holl. Com. in Diplomate anni CIↃ CCXIII. Servat nomen in *Walachria Zelandiæ* parte Aquilonari, ſub Arenarios colles.

VII. OSTFRESIA.

EX quo *Occidentalis* Friſiæ pars, quæ, citra *Kinnemum* rivum & Lacus, eſt ad *Tham* Sinum, ſuos ſeorsùm accepit Principes, atque ulteriori Parti, inde ad *Flevum*, peculiare nomen WESTFRISIÆ inditum fuit: *Orientalis Friſiæ* nomen, hactenus à *Flevo* in *Egidoram* patens, itidem arctioribus terminis definiri cœpit. Ita ut OOSTFRESIÆ vocabulo diu ſignificatum fuerit, illud tantùm terrarum, quod inter *Flevum* & *Lavicam* eſt. De quo ita Rithmographus Hollandus, Pacis leges inter Theodoricum VII. & Wilhelmum fratrem enarrans.

So dat Willem - - -
- - - wert Man des Broeders ware
Om 't Graafſchap van *Ooſtfrieſlant*,
Ende liete den Broeder in de hant
Behouden / dat hi daer beſate
Tſijnre wille ende tſijnre bate

\- - - - - -

Ende die Vrieſen hulden ſaen
Willem wert geweldich Grave
Van *Ooſtvrieſlant*, ende ſtont ſtryts ave
Jegen den Broeder / ende had in hant
Tote *Lavece* al dat Lant.

Et

Et alibi ad annum cIɔ CCXXIII.

Willem - - - heeft verwozven
Clant van bi Oeste Heydenzee
Toter *Lavece* voert mee.

Beka ([a]) de Wilhelmo OOSTFRISIÆ Comite eadem omnia; Terram ipsam *Orientalis Fresiæ* Comitatum sæpiùs appellans: Hunc verò ante Henricorum seculum jam in potestate Hollandiæ Principum fuisse innuit, atque illis violenter ereptum à *Saxoniæ* Marchionibus; His iterùm ob perfidiam ab Henrico IV. Imp. datumque Conrado Traj. Episcopo cIɔ LXXXVI. Additô mox Comitatu *Islegoæ* easdem vicissitudines passô. De quibus pleniùs ad *Ostrogoam*. (a) In Balduino II.

VIII. OSTERHEM.

Villa rustica fuisse videtur *Haltensis* Parochiæ, quæ si diversa non sit ab *Haltna* seu Houten *Interlacensis Pagi*, nomen OSTERHEM non custodivit. Hujus Decimæ quondam controversi Juris inter Ecclesiam S. Mariæ Trajectensis & Comitem de *Goye*, addictæ fuerunt eidem Ecclesiæ anno cIɔ CCXXVIII. [lege XXVI.] cujus exstat Diploma sæpiùs adductum. In Inventario Bonorum Trajectensis Ecclesiæ reperitur Osterburg-hem / fortè eadem, quæ OSTERHEM.

IX. OSTERZEE.

Wilhelmus Comes in *Orientali Fresia*, post mortem Fratris ejusque filiæ, Hollandiæ quoque, hoc nominis I. construxit Castrum OOSTERZEE, anno cIɔ CXCV. coërcendis *Kuneranis*, *Frisiæ Forestensis* fines ingredi ausis. Narrante Membrana Trajectina & post illam Beka ([b]) atque Heda. Quò etiam captivum abduxit Theodoricum II. Trajectinum Episcopum, è *Stauriæ* Monasterio captum anno cIɔ CXCVIII. ob iniquam Precariæ exactionem. (b) In Balduino II.

Forum hodie peramplum est, ad M. P. IV. in longitudinem extensum, servans nominis, sed sine Castro, in *Lemmeriana* Præfectura M. P. II. à *Flevone* & *Lemmeria*, quæ & *Lenna* veteribus.

X. OSTREHTASHEM.

Una ex VIII. Hobis [Renthoven] seu Villis Quæstoriis, quas Arnulfus Imp. anno Iɔ CCCLXXXIX. elargitus est Gerolfo Comiti intra Comitatûs illius terminos. Librarii vitio expressum esse OSPREHTASHEM, *P.* pro *T.* exaratô, nihil ambigendum est;

Digitized by Google

Cùm in Inventario Bonorum Trajectensium legatur OSTRATASCHEM ; & Loco hodie nomen sit OOSTER-ESKHAM, qui situm obtinet non longè ab *Oceano* M. P. II. Hagæ Africum versus.

XI. OSTROGOUWE. OOSTERGÔ.

PEr **Awe / Ouwe / Gawe / Gouwe / Ga / Go / Gey / Goy /** graminosorum ferè camporum planicies antiquis Germanis fuisse indicatas, nimis quam notorium faciunt Pagi innumerabiles, qui, per omnem *Germaniam*, hanc servant appellationem. Ad orientem *Wasalandiæ Frisicæ* seu **West-Friesland /** quæ quondam intra *Kinnemum* & *Islæ* deperditum alveum, Tres ordine Comitatus Littori fuêre prætexti. Primus, inter *Islam* & *Flevum*, *Islegouwe* à fluvio, vel Comitatus de *Stavero* ab Urbe Principe dictus. Secundus, inter *Flevum* & *Burdipam*, *Westrogouwe*, quia *Burdipæ* occiduus. Tertius, inter *Burdipam* & *Lavicam*, OSTROGOUWE, ceu eidem Sinui *Bornensi* ad orientem. Hosce simul omnes, inde à Carolo M. suis usos Magistratibus, [Potestates, Italorum more, dixerunt] Primus omnium invasit, post raptam *Hollandiam*, Godefridus Gibbosus (a) *Lotharingiæ* Inferioris seu *Brabantiæ* Dux. Et post illum, quasi omnis prædæ Successor, Theodoricus V. *Hollandiæ* Princeps, præscripto insuper titulo cujusdam censûs, uti ex Stokio colligitur (b), fortè ex Agris illis *Gemerchis*, jam ab Ottone III. illum in finem donatis. Sed hunc mox ejectum, ab Egberto *Saxoniæ* Inferioris Marchione, Annales ferunt. Qui non modò hæc *Cislavicana*, verùm etiam quicquid ultrà in Frisios usurparat Gibbosus, Henrici IV. Imperatoris cognati beneficio, tam diu retinuit, quam diu in fide perstitit. Ex Proscripti verò bonis, quæ ultrà *Lavicam* sunt, Episcopo *Bremensi*; quæ citrà, *Trajectensi*, Idem Imperator addixit; & quidem repetitâ sanctione; uti suprà (c) jam ostensum. Cœterùm abstulit rursus Lotharius II. in gratiam *Hollandi* sorore sua nati. Conradus III. denuò *Hollando* in gratiam Tr. Episcopi, testantibus Diplomatis cIↃ cxxxviii. & cIↃ cxlv. Fridericus I. tandem *Trajectino* & *Hollando* æquali jure divisit, anno cIↃ clxv. Cui etiam ex pacto partium accessit robur, anno cIↃ cciv. Sed hæc insuper habens Wilhelmus I. Holl. Com. *Cislavicanos* omnes in sui unius fidem adegit; Et retinuêre aliquandiu Posteri. Rudolfus verò Imp. anno cIↃ ccxc. & Albertus filius anno cIↃ ccxcix. *Hollandis* intra *Flevum* se continere jussis, *Westfrisiæ* solius possessionem confirmarunt; Atque *Oostfrisiæ Gelros* imposuerunt. Populi libertate ceu pilâ ludentes. Diplomata recitat Pontanus. (d)

Appellatur à Veteribus, diverso considerandi modo, ASTRAGO, id est, *Ostergô Pagus*, *Comitatus*, *Decanatus*; ambitû suo complectens, uti quidem hodiè res est, libertate postliminio reversâ, Præfecturas seu Comitatus minores [**Grietenien** vernaculè] XI. Urbes II. Primum-

que

(a) Stokius in Godefrido.

(b) In Roberto Frisio.

(c) Ad Islegoam.

(d) Hist. Gelr. Lib. VI.

que inter Patres Reip. locum occupat. Uberrimo ferè solo, nisi ad *Lavicæ* superiora, quà tenuissimô est.

XII. OSTERDUM.

F*ivelingiorum* Vicus in *Amisiæ* ora supremus, cui Amnis jam maximam partem, *Selstet* dictam, abstulit anno cIↄ ccxc. teste Fraterculo Menconis Continuatore; Et hodie parum fecit reliquum, præter priscum nomen.

XIII. OTMES.

Repetenda primò sunt, huc etiam spectantia, quæ ad *Barbnegos* suprà exposuimus. Addendum tantùm; neque in *Fulnahoa*, neque in *Trenta*, quod maximè consentaneum videbatur, reperiri affine vocabulum: In *Tuentæ* Pago verò, qui æquè est extra fines Dicionum in *Barbnegos* indicatarum, extare præantiquum Opidulum OTMERS, sonô vocis, vix observabili, differens ab OTMES. Cæterùm certiora demonstrantibus facilem & hîc & ubique præbebimus assensum.

XIV. OTTENFORT.

STokius ([a]) *Frisios* anno cIↄ CLXVI. in *Alcmariam* ducentes, significat transiisse in hosticum per OTTENFORT. Fuisse igitur oportet ad rivum *Kinnemum*, qui Limes. Beka ([b]) clarius; duxisse per *Vadum* Ochenvoꝛd, quod haut dubiè supra *Vronam* fuit, cùm aliàs à Mari naves nullæ, propter hoc *Vadum*, eò subvehi potuerint. Nominis vestigium exstare putat Emmius in Otterdoꝛp prope *Alcmariam*.

(a) In Flor. III.

(b) In Godefr.

XV. OUDERKERK.

OFficium seu Præfecturam vocat Florentius II. in Diplomate anni cIↄ XCVII. Servat nomen ad *Islæ Batavi* lævam M. P. V. infra *Goudam*.

P

I. PADAPALE.

MEnconi memoratur ad annum cIↃ CCLII. Locus *Groningæ* Proximus, cui PADAPALE nomen. Pascua sunt ad *Unsingis* ripam dextram, infra Urbem, vicinis depressiora; adeoque uda magis, atque hinc per ludibrium **Paddepoel** dicta, id est, Ranarum & Busonum Palus.

II. PAPENDORPE.

SItus ejus cognoscitur ex Litteris Henrici Episcopi Trajectensis anni cIↃ CCLX. quòd fuerit extra Portam Catharinæ, longiùs in Occidentem æstivum, quàm **Enge**. Hodie extare nomen non comperii.

III. PEDESE. PEDGE.

VIcus *Trentæ* modicus est, cum Arce Equestris familiæ, seu Militum de PEDESE, uti vocat Menco Werumensis ad annum cIↃ CCXLI. Partium *Gronenbergensium*, quam ideò, auctam licet munitionibus à Trajectinis cIↃ CCXXVIII., *Gelekingii* destruxerunt anno cIↃ CCLI. Adolfo Milite de PEDESE, anno altero in captivitatem abducto quoque. Membrana Trajectina ubique PEDGE scripsit, & meminit duorum Fratrum de PEDGE, Mensonis & Rudolfi, qui Herberti Episcopi fratre Lamberto geniti fuêre. Hodie vulgò PEYSE dicitur. Abest *Groninga* M. P. V.

IV. PETHEM.

UNa ex Matribus *Hollandiæ* Ecclesiis fuit, sub qua Cappellæ plures, secundùm Transactionem, inter Episcopum Wilhelmum & Regimbertum Abbatem Epternacensem anni cIↃ LXIII. Et Henrici IV. Imperatoris Diploma anni cIↃ LXIV. Inventarium Bonorum Trajectensium habet PATHEM. Hodiè **Oud**-PETTEN ad *Kinnemi* rivi quondam Ostium M. P. X. ab *Alcmariá* in aquilonem.

V. PI-

V. PINAKER.

DElfensis Pagi Prætorius Vicus, tum olim, tum hodie. Mentio ejus fit in Diplomate Wilhelmi I. cIↃ CCXXII. Et Wilhelmi Hollandiæ Tutoris cIↃ CCXXXVI. Abest ab *Urbe*, in ortum M. P. III.

VI. PITHELO.

EJusdem significatûs vocabulum esse videtur, cujus **Heiligio** & **Hilligerlee** / vel magis **Bedehem** / id est, locus in edito supplicationibus dicatus; à **Bidden** supplicare & **Lo** Editum. Fortè Altare tantùm, vel Cappella proxima Ecclesiæ subdita. Extat hodie eodem nomine, unis passuum Millibus, *Groningam* versus, ab *Assena*, Loco Comitii *Trentonum*. Heic circum possessiones habuere Ulffo quidam & Fratres ejus Proscripti, quas Imper. Henricus III. Bernolfo Episcopo Trajectino donavit anno cIↃ XL. XII. K. Junii.

VII. PITTE.

ARx quondam, cum insigni, etiam hodie, Præfecturâ. Stokio (a) **Het Huys te Pitte** / in læva *Vahalis* ripa, M. P. V. supra **Geervliet** / ubi antiquitus *Mosæ* & *Vahalis* Confluentes. PUTTEN jam omnes appellant. (a) In Joan. I.

VIII. PLADELLA.

VIllam vocat Carolus Simplex F. R. [num Regiam? affirmare non ausim] in Donationis Tabulis anni IↃ CCCCXIII. quibus *Hecmundanam Dicionem*, seu *Kinnemariam* & *Westflingæ* Comitatum, Theodorico I. adscripsit. Superest hodieque nomen, in *Campinia* Buscoducalis territorii, quod VII-Fœderatorum est, Vico BLADEL M. P. XVIII. à Metropoli in austrum.

IX. POLGEST.

ARx præantiqua ad *Rheni* orientem, M. P. IV. supra *Lugdunum*, subjecta sibi habens, uti loquitur Aleydis Florentii V. Tutrix, in Diplomate anni cIↃ CCLVIII. **Cojenbennen** / **Geestlanden** & **Hemaden** / id est, Pascua, Arva, Prata; immò & Paludem cognominem. Meminit ejus & Inventarium Bonorum Trajectinæ Ecclesiæ.

X. POORTVLIET.

MUnitissima Arx fuit Dynastarum *Vorbensium*, à Florentio, Wilhelmi I. Fratre, destructa anno cIↃ CCIV. narrante Stokio. (b) (b) In Ada.
Nomen

Nonien tamen Vico remanet, M. P. III. à *Tola Zelandiæ*, in occasum hibernum. Narrat & Stokius PORTFLETANOS Joanni Hannonio rebelles, fuisse cæsos à Principis filio, quem **Jonker Willem** vocat, anno cIↃ ccc.

XI. PORTA S. MARIÆ.

COenobium Ordinis Præmonstratensis, eodem ferè tempore, quo & *Marnense*, & *Skeldense*, & *Campi Rosarum*, conditum à Præposito Familiæ in *Berethe*, postea Abbate in *Doccum*. Cum verò inter *Amisiam* & *Lavicam* VI. omnino fuere Monasteria laudati Ordinis; IV nempe modo dicta, ejusdem pæne ætatis, uti tradidit Emo Chronici sui principio; Quintum *Werumense*, quod ipse Emo fundavit anno cIↃ ccxiii. Et Sextum *Heiligerlæum*, *Skeldensis* Colonia, ab eodem Emone deducta: Dubium nullum est, quin Claustrum Præmonstratense, Virginum castimonialium in *Fredowalda*, dictum quondam fuerit PORTA S. MARIÆ, hodie *Cusemar*.

XII. PRAEST.

HOc nomine Locus est ad Pontem *Arnhemensem*, quem Umbrachus Nobilis dono dedit Ecclesiæ Trajectinæ anno IↃ cccxxiv.

XIII. PUL.

AQua vocatur juxta *Naltvic*, ad cujus utramque ripam Theodoricus VII. Hollandiæ Comes agros suæ proprietatis donavit Ecclesiæ S. Mariæ Trajectensis anno cIↃ cxciii. Satis cognoscitur ex POEL-**Dyk** / id est, *Pulis aggere*. Hujus Dynastam fecit Wilhelmus Holl. C. Danielem ex Aleyde de Merwede filium nothum. Abest à **Naltwyc** M. P. II. ad Septentriones.

XIV. PUTTEN.

IN Pago *Felua*, in quo Zutfaniæ Comes donavit *Eltensi* Cœnobio prædia complura, Vici duo sunt hoc nomine PUTTEN, subjecti Arcibus. Alter in conspectu *Olburgi* seu *Elburgi*: Alter M. P. IV. ab *Harderovico* in austrum. Uter designetur in Diplomatis Ottonis III. IↃ ccccxcvi. & Lotharii II. cIↃ cxxxiv. definitum non est.

I. QUA-

Q

I. QUADRAGINTA HOUVÆ.

CAsæ rusticæ sunt in *Midrechtanis* Paludibus, secundùm Permutationis Tabulas anni cIↄ LXXXV. Superest memoria in Hoef/Dobbens-hoef/ VII-Hoeven/ XVIII-Hoeven/ &c.

II QUATUOR FORESTE.

VErnaculè De Vier-Holten. Quod nomen hodieque manet Viculo *Feluæ* sub ipsum saltum. Memorantur in Diplomatis Ottonis III. anni Iↄ ccccxcvi. & Lotharii II. Impp. cIↄ cxxxiv. nominibus singulatim expressis, sed diversimodè corruptis : In Primo; *Quatuor partes Foresti, Sternerewald, in Offer Wichey, Mulo & Subort*: In Altero; *Quaber* [pro Quatuor] *Foreste, Sternrewalt, Meffel, Wechemerlas*, omissô quartô. Henrici III. Diploma anni cIↄ xlvi. ubi legitur; *ad Stevere per Silvam*, satis evincit restituendum esse *Steverewalt* pro *Sternrewald*. *In Offer* autem nihil aliud est, quàm an de overzyde; ubi Wissen/ Ao / Houten. Quæ, corruptis per Librarium vocabulis, indicari, mihi equidem nullum est dubium.

III. QUATUOR MONETE.

FRisiam, quæ inter *Stauriam* & *Lavicam* hodie tripartita est, Henricorum Principatu fuisse quadripartitam, alibi demonstravimus. Eandemque partitionem adhuc suo tempore, cùm *Staurienfis* Comitatûs pars magna nondum esset fluctibus hausta, obtinuisse, haut obscurè proditum reliquit Emo Werumensis, dum innuit; Quatuor fuisse Populos, qui inter *Stauriam* & *Lavicam* tunc colebant, & Gentem unius Fori [uti loquitur, id est, ejusdem Pagi Majoris], dictos intra fines, constituebant. Hanc appellans GENTEM A IV. MONETIS quasi diceret *Quatuor-Populanam*; Quorum unusquisque seorsum supremæ potestatis juribus utitur, ipso quinetiam cudendæ MONETÆ. Anno cIↄ ccxxxii. asciti in commilitium hi IV-Populani à Wilibrando Trajectensi Episcopo, contra *Trentones* & reliquos Geliconidarum partium, duplici prælio suorum plurimos amiserunt; Priore ad Backeveen : *Forestenses*, *Staurienses* & *Westergoos*; Posteriore ad *III. Lares*, *Ostrogoos*, narrante Membranæ Trajectinæ Scriptore. Id cùm ultum irent in *Langowaldenses* & *Frodawaldenses* vicinos, ceu

T ho-

hoſtium auxiliares; Eò diſcordiarum delapſi deſcribuntur Emoni; ut ſciſſâ ſocietate, ſublataque Fori communione, divortium inter ſe fecerint: vix, ante Saxonum Præfectutam, ſecum in gratiam reverſi: Quarta interim parte ad occidentem pæne tota eluvionibus deperdita.

R

I. RATHNON.

Hoc fere nomine deſignatur Locus ad *Iſalæ* dextram, qui *Huneþd* proximè ſuperior, in Diplomatibus Ottonis III. Iↄ ccccxcvi. Henrici III. cIↄ xlvi. & Lotharii II. cIↄ cxxxiv. RATHO, RATHNON, RODE. Hodie idem vocabulum non reperitur, niſi ex RODT, per metatheſim, factum ſit DORT.

II. RECCLA.

RECCLÆ fluvii *Tuentonum*, cum *Vechta* confluentis meminit Anonymus Membranæ Trajectinæ Scriptor. Hodie Regge vocatur. Ortum habet in *Monaſterienſi* Diœceſi, & vectus in occidentem M. P. XX. flexô in arctum curſu, poſt totidem M. P. *Vechtæ* miſcetur infra *Ummam*, *Salandiæ* opidulum.

III. RECLÔ.

Curtis eſt quam recuperavit Adela Wichmanni filia, ab *Altinenſi* Cœnobio, ut querelam inofficioſæ Donationis remitteret; uti eſt in Ottonis III. Diplomate anni Iↄ ccccxcvi. Lotharius II., in ſuo anni cIↄ cxxxiv. ſcripſit Fecchloo. Putarem eſſe Betchlo ad *Rhenum* M. P. IV. infra *Altinam* in æquo.

IV. REDINCHEM.

Villa Prætoria eſt, ad *Rheni* dextram, paullo ſupra *Wagenwegam*, cujus partem mediam Wichmannus Comes, confirmantibus Ottone M. Ottone III. & Lothario II. Imperatoribus, in dotem dedit *Eltenſi* Abbatiſſæ. Accepit poſt hæc ſuos Dynaſtas, ſeorſum beneficiario

rio jure, qui de REDINCHEM vel de RENKUM, quæ hodierna appellatio, nomen assumsêre Gentilitium.

V. REIDENSIS TERRA.

VErnaculè **Reyderland**. Werumenses Præsules litteræ capitali *R.* aspirationem *H.* præfigunt, atque *HReidenses*, uti & *HRenum*, & alia multa, ad eundem modum. Regio est omnium inter *Amisiam* & *Lavicam* amplissima, *Dullartô* licet valde imminuta. Terminos habet, ab Occidente, *Veterem Præfecturam* & *Trentæ* paludes. Ab Oriente, *Amisiam*, Paludesque vastissimas **Borztange** dictas. Quorum ille Frontem; Hæ Tergum quoque cingunt. Latitudo varia est sicut Ovi. Longitudo maxima, à Meridie in Septentriones, inter *Apelam* & *Amisiæ* ripam, *Emdæ* recenti Opido adversam M. P. XXXIII. Postquam *Dullartus* Sinus ad *Burtangæas* pænè paludes fluctuum rabiem provexit, fato in duas partes distincta, deinceps diversarum Civitatum quoque esse cœpit; Ita ut inferior, extra Sinum & Paludes, *Transamisianis* accesserit; Superior verò, quæ intra Paludes, *Groninganis*. Fallor nisi ex V. Fresonum Pagis ad orientem Lavicæ, qui ordine postremus apud Alfridum in Vita Ludgeri ([a]) sit hæc ipsa terra, corrupto vocabulo ibi appellata *Federitga* pro *Rederitga*; & in Annalibus Monasticis ([b]) *Federgô* pro *Redergo*.

(a) Lib. I. cap. 4.

(b) Ap. Emmium Rer. Fris. Lib. X.

VI. REYSUM.

VIcum Prætorium fuisse ex Sibrando Mariægardensi ([c]) certò colligitur. Extat hodieque eodem vocabulo in *Ostergoæ Præfectura Ferwerderana*. M. P. III. à Documo ad Occidentem.

(c) In Vit. Frid. cap. 2.

VII. REMMERSWALE.

B*Evelandiæ* australis Opidum in læva *Scaldis* orientalis ripa M. P. III. à *Tolna*; hodie vix fluctibus exstans; Traducendo in *Brabantiam* milite, situ percommodo. De quo Stokius ad annum cIↃ CCLVIII. ([d]) & cIↃ ccc. ([e])

(d) In Ottone Tut.

(e) In Joan. II.

VIII. RENUM.

TRajectinæ Dicionis Opidum in dextra ripa *Rheni*, à quo illi nomen. Ottonem M. Imperatorem, hospitio jam excepisse constat ex ejusdem Diplomate anni IↃ CCCCXLIV. Wilhelmo Episcopo vocatur RYNEN, in Diplomate anni cIↃ LIX. Habuit & suos Toparchas, Gentilitio nomine de RENO, de **Rienen**/ de **Renen** dictos, in Diplomatibus ([f]) cIↃ CXXVI. cIↃ CXLV. cIↃ CCLXXII. Quorum

(f) Ap. Hedam in Joan. Nassav.

Digitized by Google

Quorum Gentis Godefridus Episcopus hoc Opidum, cum hæreditate sua residua, Ecclesiæ *Trajectinæ* asscripsit, teste Heda. Situm habet editissimo in Colle M. P. VI. supra *Dorestadium*.

IX. RESTA.

MEmbranæ Trajectinæ quoque memoratur RESTÆ & RESCÆ nomine. Palustris amniculus est ab *Hardenberga* veniens, & in *Vechtam* propè à *Lacu Flevone* desinens, hac parte *Salandiæ* & *Trentæ* terminator. Retinet nomen Reest.

X. RICHTERKE.

PRoprietas vocatur, quam Machthildis, Henrici V. Imperatoris Uxor, dono dedit Ecclesiæ S. Martini *Traj.* cIↃ CXXV. Quo in Diplomate numeri valdè turbati sunt. Non longè, opinor, ab ipsa *Urbe*. Nomen hodie intercidit.

XI. RYEDE.

POnitur Henrico IV. Imperatori in Diplomate anni cIↃ LXIV. inter Papendrecht & Slydrecht/ ad *Merwedæ* ripam dextram; ubi hodie, quod sciam, nullum nominis vestigium superest.

XII. RINESBURG.

MUnitissima *Frisiæ* Urbs, expugnata ab Henrico III. Imp. anno cIↃ XLVIII. secundum Lambertum Schafnaburgensem. Superest nomen RINEBURG tenui in vico, in læva *Rheni* ripa, eò fere loci, ubi olim Romanorum Castellum *Matilo*.

Est & RINESBURG seu Rensburch trans *Rhenum*, celebre quondam Illustrium Virginum Monasterium, à Petronella Com. Lotharii II. Imp. sorore conditum cIↃ CXXII. In quo plurium Principum monumenta; Et, juxtà, Vetus Ecclesia, de qua exstat Transactio anni cIↃ LXIII. inter Trajectensem & Epternacensem Præsules. Abest à littore *Oceani* M. P. II.

XIII. RINESMUTHEN.

POnitur ad occiduam *Rheni* ripam longè infra Bodegrave, in Diplomate Henrici IV. Imperatoris cIↃ LXIV. Vocabulum significat *Rheni Os*; ad quod tamen hodie non extat.

XIV. RINGART.

SIc vitio ſcriptum reor in Diplomate Ottonis I. anni IↃ CCCCLXX pro BINGART, quod Vici nomen ad *Foſſam Druſianam*, paullò ſuprà Dorsburg. *Eltenſis* quondam juris, ex Donatione Wichmanni *Zutfaniæ* Comitis.

XV. RYNHAREN.

ITa Otto I. Imperator in Diplomate anni IↃ CCCCLXX. Otto III. in ſuo anni IↃ CCCCXCVI. vocat Curtem RINHARN. Lotharius II. RYNHARO CIↃ CXXXIV. *Eltenſis* Dicionis Locus eſt, à Wichmanno Comite Abbatiſſæ donatus. Sunt in Vicinia *Altinarum* ad *Rhenum*, Aart / intra Inſulam Batavorum; & Werd extra; Num alterutrum deſignetur? ſit in medio: Certè nullum in vicinia extat vocabulum magis affine.

XVI. RINNEGEM.

INter dona, quibus Theodoricus II. Comes auxit *Eccleſiæ Hecmundanæ* peculium, recenſetur Stokio RINNEGEM, ſic;

> [Hy] meerſede hen haar goet nochtan
> In Heagen ende in Varegan
> Tot Egmonde ende in *Rinnegem*.

Extat hodie idem nomen, paullo ſupra *Lugdunum*, in læva Rheni ripa, ex adverſo *Doeſæ* Elicis, in Vico *Rynegum*, qui fortè hîc deſignatur. Sed Buxhornius tradit, Egmond & *Rinicham*, eſſe ejuſdem Loci diverſa vocabula.

XVII. RINSATERWALD.

LOcus, cujus meminit Tranſactio Epternacenſis CIↃ LXIII. Nomen planè cuſtodiens RHYNSATERWOUDE, trans *Rhenum*, M. P. VII. à *Lugduno*, ad Lacum, qui vulgo Braaſſem-Meer.

XVIII. RYSWICH.

VIlla vocatur in Inventario Bonorum Eccleſiæ Trajectinæ, inter quam & Noſtrichem quondam fuit *Leckiæ* quædam Inſula. Servat nomen è regione *Doreſtadii*.

Eſt & altera RYSWYK, quam Stokius (*) an der Geeſt cognominat, *Hagæ Comitis* proxima, in qua ante paucos menſes, quam hæc

(*) In Ada.

hæc scribimus, PAX reddita Nationibus, Utinam & Ecclesiæ: Hostibus eveniat, quod illi, ex sinistra vernaculatum vocum interpretatione, arripiunt omen.

XIX. RIPA.

HUjus meminere Emo & Menco, tanquam Vici Parochialis Fivelingiorum, Qui anno cIↃ CCXXVI. Sacerdotem habuit Herebrandum nefariè occisum: Et anno cIↃ CCLII; Menconem, Jurisconsultum. Nomen nactus videtur, à situ in RIPA quondam *Amisiæ Sinûs*, seu Portûs *Emethensis*, quod & hodie retinet; haut longè ultra M. P. ab *Emetha* in Eurum aquilonarem.

XX. ROCCLA.

LOcus in *Trenta* est, ad quem *Groningani* & *Pedesani*, *Covordiensibus* suppetias euntes, recuperando *Covordiæ* Castro, Episcopi Balduini fratrem, Ottonem Benthemiensem, in fugam conjecerunt, narranteAnonymo Membranæ Trajectinæ Scriptore. Fortè Librarii vitio ROCCLA ibi legitur pro ROLDA, qui Vicus Primarius & supremi Judicii locus, viæ pænè mediô inter *Groningam* & *Covordiam*.

XXI. RODANBURCH.

LOcus fuit in Bonis Ecclesiæ Trajectinæ, tempore confecti Inventarii. Retinet nomen RODENBURG, M. P. II. supra *Lugdunum*, intra *Insulam Batavorum*. Eo proximè loco, ubi fuêre Rom. Armamentarium & *Prætorium Agrippinæ*. Theodoricus V. in Diplomate cIↃ LXXXIII. vocat RADEMBURCH, eidemque jungit Paludem Radembutgerbroeke.

XXII. RODERHEMMUCKE.

MEminit ejus Charta Werdensis, & denotat *prata depressiora* ad rivum in *Hunesam*, profluentem à RODA *Trentæ* vico, quasi RODERHEMMERKE: Veteres enim *R.* litteram sæpiùs omittebant, quemadmodum Overmerche pro Overmercke/in Diplomate Henrici II. Imp. cIↃ II. uti legendum, propter Ind. XV. Hodie RODERWOLDE, ad IV. ab Urbe *Groningâ* lapidem.

XXIII. RODERISEN.

VIcus Prætorius & Præfectura est, ad Gentem cognominem tunc spectans, in læva *Sciæ* ripa, M. P. IV. à *Mosâ*, ubi & hodie exstat

Digitized by Google

exstat. Mentionem ejus fecit Florentius V. H. C. in Diplomate anni cIↃ CCLXXXI.

XXIV. ROMERSWERF.

Locus est *Feldwirthensibus* Monachis vicinus, in quo Emo, Laïcus Nobilis, suo in fundo Oratorium dedicavit cIↃ CCIV. quod deinde, associatô sibi Emone, postea Werumensi Abbate I, Amitino suo, in *Claustrum Novum* convertit, nomine *Campi Rosarum*, cujus rigator præcipuus, ipse Abbas Werumensis, ibidem apud Sanctimoniales Sorores suas defunctus est anno cIↃ CCXXXVII. Narrante Mencone in Vita Emonis. *Romerswervæ* & *Campi Rosarum* vocabula hodie ab usu recesserunt. Superest NOVI CLAUSTRI, id est, NIENCLOOSTER; Vix M. P. II. à *Veteri* seu Feldwirth/ *Fivelam* versus.

XXV. ROTTE.

Officium seu Præfecturam vocat Florentius V. in Diplomate anni cIↃ CCLXXXI. Id nominis haut dubiè mutuatum à rivulo, qui & *Rotterodamo*, ubi in *Mosam* influit versatili obice coercitus, agnominationem addidit.

XXVI. ROTTENVELT.

Wilhelmus Hollandiæ Tutor, in Diplomate anni cIↃ CCXXXVI. per ROTTENVELT designat longam seriem Agrorum, qui Cœnobio *Rhenoburgensi* ad meridiem sunt, adeoque alterâ parte *Rheni*, pertingentes ad *Rottam* rivulum, à quo nominati videntur.

XXVII. ROTTEREDAMME.

Hollandiæ Urbs, hodie inter Minores maxima & Majoribus plerisque par. Tantæ novitatis est, ut ne nomen quidem ejus, quod sciam, ullis litteratum monumentis, Seculo XIV. prioribus insertum reperiatur. *Agrorum* & *Amnis Rottæ* mentionem Veteribus factam vidimus, non DAMMI, seu obicis, qui huic florentissimæ Urbi nominis auctor.

Extitisse tamen *Rotterodamum* ante finem Seculi XIII., & quidem munitum; facta ejus à *Flandris* expugnatio, tertio mox anno post, mihi omninò persuaderet, si sufficeret Buxhornii auctoritas, silente Stokio, qui hoc bellum cum *Flandris*, luculenter enarravit. Quæ Nugator Hunibaldus de *Rotterodamo* consuit longinqua mendacia, non tantùm nostri, sed superioris etiam seculi solertia dudum explosit.

Neque à *Roterdama Civitate*, id est, Diœceseos alicujus jam tum capite, cujus mentionem facit Regino ad annum IↃ CCLXVIII. antiquitatis

quitatis opinionem quisquam conciliaverit huic nostræ; palàm ex quo esse cœpit *Trajectinæ Diœcesi* supposita. Situm enim habet illo in Comitatu, quem Otto III. Imp. inter *Hislam* & *Lioram* Theodorico II. fecit propriam, ad ingentem alveum, cui *Merwedæ* nomen, partem *Mosæ Vahalisque* cum *Leckia* & *Isala* deferentem, M. P. XVIII. ab *Oceano*. VIII. à *Delfa*. IX. à *Gouda*.

XXVIII. ROTTUM.

H*Unsingiæ* Vicus est exiguus, quondam Abbatiâ, quam vocant, Benedictinorum nobilis. Sic dici videtur à tecto, præ cæteris rubente, quasi **Root-heem**. Abest *Groningâ* M. P. X. ad arctum Aquilonarem. Apud Werumenses frequens ejus mentio est.

XXIX. RUNEN.

T*Rentæ* Villa Prætoria est, cui Præfectus hæreditarius, ad quam ab *Umme* per paludes, transmisso *Resta* fluviô penetratur; Ita Membrana Trajectina, ad annum CIↃ CCXXVIII, de loci situ. Unde patet Librarium ibi malè RIMEN. pro RUNEN. exscripsisse; uti & paullo post; *Renenses* pro *Runenses*.

I. SAB-

S

I. SABBINGE.

WOlfertsdikâ Insulæ portionem fuisse haut dubium, cui quondam sui seorsum Dynastæ. Quorum mentio fit in Diplomate Wilhelmi I. Holl. Com. anni cIↃ ccxiii.

II. SALLANDIA.

ITa Fridericus II. Imperator, & Henricus Rom. Rex ejus filius in Diplomatibus (a) vocant *Transisalanæ Diœceseos* partem principem, quæ, ceu ordine *Prima*, analogicè ad *Secundam* & *Tertiam*, vulgò *Tuente* & *Drente*, etiam *Ente* vel dicta aliquando fuit, vel dici potuit. Membrana Trajectina & Beka (b), per *Z.* litteram, hic perpetuò, illa semel ZALLANT scripserunt. Otto M. Imp. in Diplomatis anni IↃ CCCC XLIII. & IↃ CCCC LXVIII. Pagum SALON vocat: Item Otto III. IↃ CCCCXCVI. & Lotharius II. cIↃ cxxxiv. Gerhardus *Gelriæ* Com. in Compromissi formula anni cIↃ ccxxv. *Cometiam* seu Comitatum SALLANDIÆ. Quod nominis, præ aliis, sibi præcipuum vindicavit, quia sola *Salæ* fluvio prætexta. Subdivisa quondam in particulas tres: Quarum Superior *Daventriensis*; Media strictissimè *Zallandica*; Inferior *Vechtana* Anonymo Membranæ Trajectinæ Scriptori appellatur. Universa separatur, ad Septentriones, à *Trenta* vastis Paludibus longissimo tractû, à *Fulnaboa* admodum exiguo M. P. VI. non majore. Ad Ortum, à *Tuenta* itidem per Paludes. A Meridie *Zutfaniensi* Comitatu, per M. P. VIII. tantùm. Ad occasum *Sala* fl. est, vel ingens ille Lacus. Patrimonium Ecclesiæ *Trajectinæ* antiquissimum fuit. De *Superiore* constat, quod accesserit Zuentibolchi Regis donatione, anno Christi IↃ CCCXC. Atque de *Inferiore*, quòd ejusdem Ecclesiæ Dicioni jam adscripta fuerit Ottonis I. Principatu. *Gelriæ* tamen Comites diu plurima, hos intra fines, possederunt, quæ tandem ex permutatione anni cIↃ ccxxv., cum quibusdam Episcopi possessionibus in *Batua*, illi quoque propria facta sunt. Testibus Friderico II. Imp. Henrico Rege, Membranâ Trajectinâ, Bekâ, Aliis. Solum quod attinet, id *Tuentonum* & *Trentonum* multò lætius est, maxime ad *Salam* & *Lacum*: Continetque tres insignes Urbes Imperii Liberas, de quibus, suo loco, seorsùm.

(a) Ap. Hedam in Otton. II.

(b) In Otton. II. & passim.

III. SALON.

IN Diplomate Ottonis Magni, quo *Altinensi* Cœnobio æqualem dignitatem cum *Quedlinburgensi*, *Essensi* & *Gandershemensi* tribuit, mentionem facit, uti modò diximus, Pagi SALON ad *Isalam*. Joh. Is. Pontanus interpretatur Vicum SALIC; quia, ab hoc prope, est Telonium *Cotertol*, de quo itidem Imperator, vocabulo à Librariis fœde corruptô atque sic restituendo. Utut verum sit, ad SALIC fortè fuisse illud Telonium de piscatione in *Isala*, de quo Imperator: minimè tamen Vicum designare voluit; sed saltem Regionem *Sallandiam*, quæ, seculi more, ceu plures Comitatus complexa, *Pagus* dici meruit.

IV. SANDE.

ANno Christi CIↃ CCLVII. Novus Agger *Amisiæ* Æstuario objici cœpit, à SANDE, ad *Fivelam*, quem junctis operis tandem perfecerunt SANDENSES, Werumenses & consortes alii anno CIↃ CCLXVI. uti notatum reliquit Menco. Est autem 't Zant Vicus *Fivelingiorum* egregius, agris arvis nulli secundus. Abest *Groningâ*, ab Africo in Aquilonem M. P. XII.

V. SAXNEM.

ITa Theodoricus V. in Diplomate anni CIↃ LXXXIV. Stokio ZASSENEM. Hodie SASSEM vocatur, M. P. IV. à *Lugduno* & *Rheni* ripa dextra. Sunt & passim per *Batavos* & *Frisios* ejus nominis loca plurima à *Saxonibus* sic dicta, cum variis appositis, Luthe / Groote / &c.

VI. SCAGEN.

WEstfrisiæ Municipium est, M. P. X. ab *Alcmaria* in ortum hibernum. In quo jam Theodoricus II. S. Adelberto Hecmundano Mansos VI. [Voert-Hoeven] dono dedit, teste Theodorico V. Abnepote, in Diplomate anni CIↃ LXXXIII. Villam fuisse anno CIↃ CLXVIII, Beka (a) Author est. Celebratur quam maximè ab incomparabili ubertate soli. Frequens ejus apud Rithmographum fit mentio.

(a) In Godefr.

VII. SCALDIS. SCALDIA.

PAgum vocat Otto II. Imper. in Donationis Diplomate anni IↃ CCCCLXXIV. Insignium Territoriorum ea appellatio tum temporis

ris erat, in quibus Prætores plures. Est autem Insula inter *Zelandicas* maximè arctoa, cujus austrino lateri, fluvius cognominis maris instar sævus; Occiduo ipse *Oceanus* imminet. Prolata quondam ad *Villam* seu Opidum *Bergarum*, Insulas tres minores, Sprange / Watrange & Steninge / dicione complexa, uti constat ex aliis ejusdem Imperatoris Litteris. (a)

(a) Ap. Buxhorn. in Gertrudisberga.

Hodie magnitudine *Walachriæ* impar, & magis Negociatorum frequentiâ; Soli verò ubertate nulli secunda. SCALDIAM dixêre posteriores, ut à flumine distinguatur denominatâ voce. Nos SCHOUWEN vocamus à *Scoude*, *Scaldis* vernaculâ nomenclatione: Stokius Insulam ubique SCHOUDEN, & Insulares Schoudemaren.

VIII. Scellinghout.

WEstfrisiæ Vicus, nominis servans inter *Hornam* & *Wydnes*, ad quem Florentius V. *Frisios* prælio fudit anno cIↃ CCLXXXI. teste Stokio.

IX. Scie.

IN Transactione, quâ controversiarum finem fecerunt anno cIↃ LXIII. Præsules Trajectensis & Epternacensis, Ponitur SCIE inter *Haragoam* seu Aarland & Rhinesburch ad orientem *Rheni*: Ubi hodie nulli omninò loco affine vocabulum. Igitur Librarium exscripsisse crederem vitio SCIE, pro MIE, qui vicus à *Leyderdorpa* proximus.

X. Scye.

SIc fluvium vel potius rivum aut Fossam vocat Florentius V. in Diplomate anni cIↃ CCLXXXI. Quem eodem nomine hodie novimus inter *Delfam* & *Scyedamum*; à quo, non tantùm illi Opido, tunc adhuc Vico, nunc Potentatûs Hollandici participi; Sed etiam *Ballivatui* seu *Officio*, id est, Præfecturæ, accessit denominatio.

XI. Sciedamme.

HOdie Urbis dignatione inter *Hollandicas* Minores, ad *Merwedam*, situ medio inter *Rotterodamum* & *Flardingam*: Ubi SCIÆ amniculi Obex emissarius, à quo ipsi nomen. Vicus adhuc fuit, secundùm Stokium, anno cIↃ CCXCIX. nulli antea indicatus.

XII. SCIEPLEDA.

VIcus est inter *Urbem Delfensem* & *Mosam* seu **Maaslandsluys**: Jam Theodorici V. ætate, etiam eô, quo hodie est, nomine cognitus; **Schiplup** / quippe quod legitur in Diplomate anni CIↃ LXXXIII.

XIII. SCIRMERE.

NUmeratur inter Ecclesias, de quibus controversia, inter Episcopum Trajectinum & Abbatem Epternacensem, per Transactionem sopita est, anno CIↃ LXIII. Hodie **Schermer** / ad meridiem quondam Lacûs cognominis, qui nunc pascuus ager M. P. V. aut VI. ab *Alcmaria.*

XIV. SCONHOVIA.

HOllandiæ Opidum ad *Leckiæ* dextram ripam. M. P. VII. infra *Vianam*; hodie inter Urbes Minores numeratum. Incertum, utrum à Pratis **Ouwen**? à Pomariis **Hoven**? à Portu **Haven**? An ab Aula **Hof** / deducendum sit etymon? cum apposito SCHOON; quod Pulcrum notat. Beka in Ottone III. Episcopo Traject. ejus primam facit mentionem circa annum CIↃ CCXXXII. Stokius iterùm ad annum CIↃ CCXCIX. & CIↃ CCC. appellatione Opidi & Castelli Catziorum peculii. Qui Frossardum edidit & Notis illustravit Historiographus Regius [liceat fines nobis descriptos tantillum transilire] Belgicè non intelligens pro *Esconehoue* exscripsit *Estonchoue*, voce parum intelligibili de hoc nostro SCHOONHOVEN. De quo tamen palàm loquitur Auctor.

XV. SCONROLÔ.

INventarium Bonorum Trajectensium ejus meminit. Est autem Vicus *Kinnemariæ*, qui hodie contractiùs **Schoorl** vocatur, M. P. III. & paullo longius in Septentriones ab *Alcmaria.*

XVI. SCOTA.

TRajectensis peculii esse dicitur in Inventario, Bonorum Ecclesiasticorum. Vicus est antiquo nomine SCOTEN, inter *Harlemum* & *The* proximam oram non ignobilis.

XVII.

XVII. SCRODEAMBACHT.

AMBACHT, AMBOCHT, OMBECHT; OFFICIUM vertitur sequiorum horum temporum Scriptoribus. Theodoricus V. Holl. Comes in Diplomate anni CIↃ LXXXIII. *Judiciariam*, id est, Prætoriam, potestatem interpretatur in Territorium descriptum. Stokius (a) Frisicè vocat Schoutaatdom. Alii Francorum linguâ *Ballivatum*, vulgò hodie Baillufchap. Florentius IV, Aleidis Amita & Tutrix Florentii V. *Officium de Durdrecht*, id est, Præfecturam Durdrechtanam, hoc nomine insigniunt in Diplomatibus anni CIↃ CCXXXII. & CIↃ CCLX. Quæ SCROT seu SCRODE agnominationis ratio dari poterit, ignoro cum ignarissimis. Est quidem propè Schobbe-Ambacht; sed trans flumen.

(a) In Dider. V.

XVIII. SCULENBURCH.

CAstrum antiquum fuit in *Recclæ* seu *Regge* amnis Insula; cujus munitiones jam translatas diximus *Hardenbergam* à Wilbrando Episcopo Trajectensi anno CIↃ CCXXVIII. Loco tamen remanet nomen.

XIX. SCULINGBEKE.

THeodoricus Hollandiensis Comes, in Diplomate anni CIↃ LXXXIII. sic vocat rivulum, inter quem & *Huresłede*, Theodoricus II. Abavus, Ecclesiæ *Hecmundanæ* donavit mansus IV. unà cum piscatione. Stokius ita exponit.

> Tusschen *Sulen den Vloet*
> In *Huusłede* vier morgen vrie
> Ende daer toe die Visscherie.

Vicus ille *Ledæ* nomine distinctus, in Diplomate per appositum *Hures*, seu *Hues*, ab altero, cui à Schip additum cognomen, haut leve indicium facit de proxima inter utrumque vicinitate: Ita ut hic rivulus haut longè à *Scipleda* investigandus sit. Num ille, cui hodie Gaech nomen, ad *Delfense* Opidum, vel alius Slink dictus? in medium relinquo.

XX. SEPTEM VILLÆ FRISIORUM.

VIlla Latinè quidem nihil aliud notat, quàm ædificio instructum rus; Frisiis Een Schuysde Plaats / Een Heerd Lands / vel simpliciter Een Plaats / Een Heerd. Emoni aliàs *Locus*. Cùm verò Magnates, potentiæ ostentandæ ergò, hujusmodi Villis superba Pa-

latia aliaque ædificia voluptati deservientia, quæ Prætoria dicebantur, adjicere solebant, iisdemque præficere Villicos, penes quos non tantum cura Villæ, in qua Prætorium; sed & aliarum omnium; immò sæpiùs universarum possessionum erat dispensatio, Prætoriis ipsis quoque *Villæ* appellatio tributa fuit. His autem postea auctis Juris dicundi potestate in Villas minores subjectas, ex quibus jam compositi Vici & Paroeciæ; Quævis Paroecia seorsum, & junctim omnes, quibus ad eundem Judicem itio est, *Villa* appellari cœpit, immo & ipsum Prædium Dominans cui annexa jurisdictio sedesque Judicis.

Cæterùm heic non substitit rustica Latinitas, prolato *Villæ* significatu non modò à Vicis ad Opida; sed ab his ad Pagos ingentes, in quibus Opida plura, Vici plurimi, distinctos à reliquis ejusdem Civitatis aut Nationis peculiari quodam jure.

Tales per *Frisiam* inter *Kinnemum* & *Egidoram*, post Carolum M. numerari coeperunt SEPTEM, vernaculè dicti De Seben Zeelanden/ quia Littorales omnes. Hos Emo Archimandrita ad annum cIↃ ccxix, Germanico cognomentò latinè versô, vocat SEPTEM VILLAS MARI CONTERMINAS, quarum Majores, [qui lingua patria Oyetmannen] tunc fortè convenisse tradit, atque communi placito elegisse Judices Juratos, uti moris erat in caussis gravioribus, qui justam dictarent sententiam inter incolas VI-Villarum [id est, Paroeciarum] *Sandenses* nempe cum Sociis, & *Werumenses* cum suis, super mota querela, de Aggeribus reficiendis, Cui definiendæ Consules [id est, annuus Fivelgoniæ Magistratus] se impares esse, inani responso jam palam fecerant.

XXI. SEX VILLÆ.

EMo Werumensis ad annum cIↃ ccxix. sic vocat tot numero Vicos *Fivelingiæ*, qui *Emethensi* Portu in agros converso & aggeribus præcluso, sibi seorsum contra eluviones, consuluerunt; *Emetha* nempe, *Sande*, *Ripa*, *Leermens*, *Enum*, *Loppeshem*, omnes olim ad intimum Portûs recessum impositi tribunalibus, eidem Emoni *Cacumina Villarum* nuncupatis. *Emethâ* primariâ verò ab hac societate avulsâ, & Werumensibus anno cIↃ ccxxv. addictâ; Quinque reliqui peculiarem quoque sibi constituerunt Aquæductum anno cIↃ cclxxii, cui nomen à Villis seu Vicis illis factum Dorpster-zyl. Menco *Sandensem* vocat à Villarum tunc Principe Sande; Ita ubique legendum, licet Librarius *A.* & *O.* confundere solitus, sæpius scripserit Sonde.

XXII. SIGELDRECHT.

LOcus est ad occidentem *Rheni*. Terminus cujusdam terræ tractûs *Rhinesmuthæ* oppositus, in Diplomate Henrici IV. Imp. cIↃ lxiv.

XXIII.

XXIII. SIGERDACHURKA.

EMo Werumensis narrat ad annum cIↃ CCXXVI. *Fermeshemi* in cœtu Populi, ob insolentiam, trucidatos esse filios Skulteti de SIGERDACHURKE. Cujus quidem Fani, partibus hisce Amisianis; nulla superest memoria. Licet in *Fivelingiis* vel Præfectura Vetere fuisse suspicio sit: fortè eadem cum *Sierdakirka*, quæ Continuatori Menconis in Vicinia *Broke* & *Astawalde*.

XXIV. SILOWERT.

ANtiquissimè exigua seorsum Jurisdictio fuit inter Pascua *Groningæ* suburbicaria, & Veterem *Unsingis* vel *Hunesæ* ductum: Nam ultra Arcem *Groenenbergicam* ceu *Trentowaldiis* objectam, teste Mencone, protulisse fineis haut consentaneum est.

Qui Judicem dandi potestatem habebant, usi fuêre hoc nomine Gentilitio, quod & Arci fuit, omnium inter *Amisiam* & *Lavicam* validissimæ. Ipsa Familia violatæ pacis publicæ damnata die XXIV. Septembris cIↃ CCLXXXIII. ex Decreto ([a]) Oecumenici *Frisiorum* Conventûs *Groningæ* habiti, excidit hac potestate; Eaque accessit *Trentowaldiorum* Comitatui ex optione ipsorum Reorum. Qui non longè post *Gronenbergiis* agnatis succedentes Utrique Territorio, *Trentowaldiæ* nempe & *Silawerdiæ*, de suo tantùm, nomen fecerunt 't Gericht van Selwerth / quod hactenus perseverat.

Extinctâ familiâ, coemerunt à Filia sola superstite Arcem sibi invisam *Groningani* & *Hunsingii* collato ære, eamque mox solo æquarunt. ([b])

([a]) Ap. Emmium Rer. Fris. Lib. XII.

([b]) Emmius Rer. Fris. XIV.

XXV. SILVÆ AUSTRALES.

SIc vocat Emo *Fivelingiæ* portionem, quam sequens Ætas DUURSWOLDE, Nostra de WOLDSTREEK, appellare consuevit. Confinis *Trentowaldæ* & *Veteri Præfecturæ* in solo admodum tenui.

XXVI. SILVANI.

QUi *Veterem Præfecturam Majorem* colunt, SILVANI à Mencone appellantur; A se ipsis vernaculè Wold-Oldampsters. Continuatori Menconis hæc portio *Orientalis Broka* vocatur.

XXVII. SINCFALA.

OCeani ostium est, *Frisiæ*, quando amplissima fuit, ad Occidentem terminus. Antiquæ Frisiorum Leges, *C*, quæ fortissima aspira-

aſpiratio, more ſeculi inſerunt mediæ voci SINcFALA. Stokius Rithmographus Hollandus, abſque omni ſpiritu SINE-VAL vocat locum, ad quem *Scaldis* in *Oceanum* incidit, vel SEYNE, ſi ita exigat Rithmi ratio. Sic ſtatim orſus principiô,

Oude Boeken hoer ik gewagen
Dat al 't Lant beneden Nyemagen
Wilen Neder-Zaſſen hiet/
Alzo als die ſtroem verſchiet
Van der Mazen ende van den Rine/
Die *Schelt* was *dat Weſt* en de SINE
Alzo als ſi VALT in de Zee.
Oeſt ſtreekende min no mee
Dan toter Lavere of ter Elve.

Iterumque in Theodorico II.

- - - Al dat gemeene Diet
Dat woent tuſſchen der Elve en der SEYNE
Ende van den Bergen hier neder reyne.

per Montes, uti in ſuperioribus, *Noviomagum* intelligens.

Menco Werumenſis Abbas SUIN dici ait Portum *Flandriæ*, ad quem Friſiorum Coggones L. [Corbitæ ſunt, vaſtiſſimo cum maximè ſufficientes Oceano] cum Cruceſignatis appulerunt anno CIↃ CC LXIX. Perſeverat etiam hodie hâc nomenclatione, ad *Sluſæ* Opidi Portum veterem.

XXVIII. SKELDWALDA.

Vicus eſt, olim Præpoſiturâ, quam vocant, inſignis in *Silvis Auſtralibus Fivelingiæ*, id eſt, De Woldſtreek. Cujus Sacerdos HRodbernus Emoni Werumenſi moleſtiæ plurimùm creavit. Ipſe Emo Parochiam, in qua & Sororum Cœnobium, SKELDENSEM dixit; Et Parochianos, Silvanos SKELDENSES. Hodie SCHILTWOLDE, à Schilt/ Stagno vicino, appellatur. Quod Continuatori Menconis *Aqua* vel *Mare* SKELD dictum. Abeſt *Groningâ* M. P. IX. ad ortum.

XXIX. SKIRAMERE.

ITa apud Werumenſes, & in plurimis Veterum monumentis perpetuò ſcriptum reperitur. Fano additum fuit Cruciferorum Cœnobium, quod anno CIↃ CCXXXI. ceſſit in tutelam Abbatis Werumenſis non ſine motibus. SCHARMER hodie vocatur vicus

cus in *Fivelingiis* proximè à *Trentowaldiorum* finibus ad V. à *Groninga* lapidem.

XXX. SLEEN.

VIcus Prætorius insignis est, *Trentæ Superioris* primarius; Cujus Prætor Banner-Schultet vocatur. Abest à *Covordia* in aquilonem M. P. V. Meminit ejus Charta Werdensis.

XXXI. SLYDRECHT.

HEnrico IV. Imperatori ponitur in eâdem *Merwedæ* ripâ, qua Menlienesdrecht. Diplomate anni cIↃ LXIV. Extat eodem nomine M. P. II. & paullò ampliùs supra Papendrecht.

XXXII. SLOTEN.

TRansactionis Instrumentum anni cIↃ LXIII. quod Trajectensis Episcopus cum Abbate Epternacensi confecit, hujus meminit. Extat eâdem planè nomenclatione M. P. III. ad occidentem *Amstelædami*, vici formâ.

XXXIII. SLOTHRA.

LIcet Menconis Continuator. hâc scriptione sæpiùs & constanter usus sit; Certissimum tamen est ubique designari Vicum Parochialem in *Fivelingiorum Silvis australibus*, quem SLOCHTRAM, transposita & geminatâ aspiratione, vocamus. *Haigingiis* præcipuam authoritatem heic fuisse, sub finem seculi XIII. idem Author est. Distat ab Urbe M. P. IX.

XXXIV. SLUSA.

MOrinorum Opidum extremum, ad *Scaldis* Portum Veterem; qui postea *Sincfala*, *Sine*, *Suine*, immò & *Swene* Stokio [a]; Nomen accepit ab obice emissario versatilibus valvis, quibus ab obturatione conservatur Ostium *Scaldis* per *Fossam Ottonianam* abacti. Nec ipsum Opidum, licet hodie egregium & munitissimum, hôc instituto antiquius esse potest, nisi alio, quod obsolevit, nomine fortè BAIORZUNÆ à Normannis excisæ, uti suo loco dictum. Hanc enim, ut Portui *Sine* seu *Suine* adsedisse credamus, valde sollicitat ipsa vocis terminatio ZUNA. Meminit jam ejus Stokius [b] ad annum cIↃ ccxciv. quô ab *Hollandis* incensum narrat. Hodie in VII-Fœderatorum potestate est, cum omni suo territorio.

(a) In Joan. Tutor.

(b) In Florent. V.

XXXV. SMALENA.

FRisiæ Decanarum vocat Membrana Trajectina ad annum cIↃ cc xxx. Hodie *Ostergoæ* Præfectura est nominis pæne retinens; Smallinger-Land / Cujus ortivum angulum colunt *Drechtenses* ulteriores, apud quos *Lavicæ* ortus.

XXXVI. SMITHUSEN.

TElonium seu Mensa Publicanorum vocatur in Permutationis Literis anni cIↃ LXXXV. à Conrado Episcopo signatis. Pontanus (*) ejusdem mentionem factam credit Anonymo æquali Ortonis III. Gelr. Com. ad annum cIↃ CCXXVIII. Est hoc nomine Locus ad veterem Rheni voraginem, quâ fugati *Trajanenses* in proximos Clivos se subduxerunt, ubi Trajectùs & Telonii reliquiæ, intra I. lapidem ab *ipsa Colonia*, sitûs & nominis vestigia, in viculo Cöln / servante.

(*) Hist. Gelr. Lib. VI.

XXXVII. SOUS.

LOcus est *Trajectinæ* Diœceseos intra *Rhenum*. Propinqui soni sunt Seyst & Soest / nobilissimi hodieque Vici, nec longè disjuncti. Utrum referat SOUS nostrum? ambigo. Nam in Tabulis Rotgarii IↃ CCCXXXVIII. Seyst jungitur *Hesi*. Er in alteris Aufridi Episcopi cIↃ VI. Sous ab *Hesi* proximum indicatur.

XXXVIII. SPERNEREWALD.

HUjus mentionem fecit Transactio anni cIↃ LXIII. Hodie Sparewou / ad *Tha* occidentem vicus insignis. M. P. V. ab *Amstelædamo Harlemum* versus.

XXXIX. SPIC.

VIcus *Fivelingiorum* est ad *Amisiæ* ostium cui Ptolemæus cognomen Wider addidit. Menco Werumensis tradit; Diluvio Lucæ cIↃ CCXLVI. hujus littori impactam fuisse navem *Leovardiensium* prægrandem à se coemtam. Superest hodieque eodem nomine, sed latiore pronunciatu SPYK, ab Urbe *Groninga* M. P. XV.

XL. SPRUNDELHEM.

CAstellum vocatur ad *Merbatam* [sic *Merweda* dici videtur] in Literis Hilsewydis anni IↃ CCCXCIX. rectiùs IↃ CCCCXCII. Superest quidem Vicus SPRUNDEL in *Bredano* Territorio; Sed nullum hodie

hodie ejus nominis Castellum ad *Merwedam*; Dubium itaque num probatior lectio in Actis Sanctorum ([a]) *super fluvium* Moerwater? (a) Vita Ausfridi.

XLI. STAURIA. STAVERA.

PRimi & antiquissimi nominis Opidum est in Veteri *Sturiorum* Insula, omnium, quæ in ipso *Rheno* quondam fuerunt, maximè Orientali; A quibus & nomen accepisse Parte I. jam dictum est, STEERHEM scilicet, uti Incolis hodieque vocatur, quasi dixerint STURIORUM OPIDUM.

Ultima ejus memoria est in Marmore quod Romæ exstat in Æde Michaëlis; Ubi inter *Frisiæ* Athletas, qui Caroli M. signa secuti sunt memoratur *Leomot de Stavera.*

Altera in Diplomate Henrici IV. anni cIↃ LXXVII.

Posteà frequentior ejus fit mentio apud Scriptores, illorum temporum æquales vel proximos; Et quidem apud Veterem Chronographum Anonymum, cujus exemplar, à tertio abhinc seculo exaratum, se vidisse testatur Douza F. ([b]) Eidem subscribens Emmii ([c]) authoritate; Ubi STAURIA maxima & opulentissima *Frisiæ* Urbs, à Theodorico V. Hollandiæ & Marsatiorum Littoris Principe, expugnata traditur anno Æræ Christi cIↃ LXXVI. (b) Ann. Holl. Lib. X. (c) Rer. Frisic. Lib. VI.

Beka ([d]), sub Lothario II. STAURIENSIS Ecclesiæ meminit: Et iterùm ([e]) STAURIENSIS Monasterii sub Friderico II. (d) In Andrea. (e) In Theod. II.

Amelius Stokius STAURIENSIS Opidi, sub eodem Imperatore, in quo Wilhelmum Primum Holl. Com. nuptias celebrasse narrat;

> Hier na nam hi ten Wyve t'hant
> Tsgraven Dochter van Gelderlant/
> Ende hi dede sijn Feeste mede
> Tote *Staveren* in die Stede.

Membrana Trajectina ad annum cIↃ CCXXVI. cIↃ CCXXVIII & cIↃ CCXXXII. STAURIÆ sæpiùs, & speciatim STAURIÆ Decanatûs, facit mentionem. Item Emo Werumensis Abbas ad annum cIↃ CCXXXIV.

Situm habuit, non tantùm cis *Flevum*; sed etiam citra fluentum, *Salæ* in ortum sine medio proximum, Cui *Chimelosaræ* nomen fecit Otto III. in Diplomate anni IↃ CCCCLXXXV. Hodie Hemelumer-oursert; Quod palam, hodiernæ quinetiam pauperculæ STAURIÆ, vetere longiùs in ortum rejectæ, ad Solem orientem est, & intra *Flevum*. Sed nec *Stauriense* Territorium *Frisiæ Orientalis* seu *Transflevanæ* portio olim fuit. Disertim quippe distinctum ab iis, quæ trans *Flevum* sunt, Westergowe & Ostergowe vocabulis.

Ex hisce, non parùm firmamenti accedere putem iis; quæ de Veteri ductu *Flevi* Parte I. exposuimus.

Mansit autem *Stauriensibus* suus seorsùm Pagus, per quem juri dicundo præfuit Judex ab Aula Imperatoris missus, Comitis titulo, uti more receptum erat per omnem *Frisiam*. In universam verò *Stavriorum* Insulam, se non extendisse ejus potestatem, ex eo liquet; quòd superior pars, in qua *Flevo* Insula, posteà seorsùm fuerit Comitatus, à Sede Comitis, *Kuneranus* dictus. Sicut & alii reperiuntur Pagi, qui plures habuerunt Comites vel Judices Superiores: Atque vicissim Comitatus seu Judicantium tribunalia, sub quibus diversorum Pagorum particulæ.

Vix etiam crediderim, Comiti *Stauriensi* quicquam Juris in Urbem amplissimam fuisse, quæ procul dubio ipsa suis jus dixit; uti quævis aliæ Liberæ imperii Civitates, cum ipso vitæ & necis arbitrio; de quo quidem satis constat, cognito etiam hodie antiquo supplicii loco De Galg-Denne.

Sed hujus Comitatus, uti plerumque, idem fuit fatum; Potestate dandorum ejusmodi Judicum ab Imperatoribus collatâ in Principes vicinos. Qui hac præscriptione, non modo Judicia, sed omnem ad se trahebant Potentatum, vel trahere satagebant contranitente Populô, unde perpetuus bellorum fomes: Quod & STAURIA maximo suo malo experta est, ex quo Henricus IV. Imp. Comitatum de STAVERO, B. Martino elargitus est, Diplomate suprà adducto. Et Episcopus mox jure suo cessit *Hollandiæ* Comiti.

Interim tamen Navigatio longinqua à Civibus haut intermissa; sed indies magis magisque eò provecta, ut *Germaniæ* Emporiis plerisque omnibus palmam præripuerit, ipsis Hollandiæ Principibus Florentio V. & Joanne F°. fortunæ tam benignæ secundantibus; De quo apud *Staurienses* exstant illorum Diplomata. Cum *Groninganis* intercessisse *Stauriensibus* mutuam immunitatem Vectigalis, quod Tortol dixêre, ex antiquo Legum nostrarum Codice cognovimus. Atque hæc potissimum sunt, quæ de STAURIA certò scimus. Qui nugarum Ludum exercent, sine testimoniis, sine auctoritatibus, infinita enarrant alia, quibus fidem adhibebit nemo, nisi, cum talium Magistris, omnem priùs ejuraverit pudorem.

XLII. STEDDEREWALDA.

EST in *Fivelingiis* Vicus Præpositurâ, quam vocant, insignis Stedehem / Stedum & Stem dictus, à quo adjacens Silva STEDEREWALDA. Hodie, excisâ licet Silvâ, loco nomen remansit Stuertwold. Meminit ejus Charta Werdensis. Abest ab Urbe *Groninga* ortum versus M. P. III. Continuator Menconis celebrat circa annum CIↃ CCXC. Epponem Bolesmoma de STEDUM, Virum virtute & probitate insignem.

XLIII.

XLIII. STEENWYC.

PRæfecturæ *Fulnaböæ* Opidulum præcipuum, vel unicum, Balduino Episcopo valdè frequentatum, secundum Membranam Traject. Henricus I. Episcopus instituit in hoc ipso Collegium XII. Canonicorum, circa annum cIↃ CCLX. tradente Bekâ. ([a]) Distat *Groningâ* in Africum M. P. XXX. (a) In Henrico.

XLIV. STERWYK.

A *Bushusa* & *Assendelfa* haut longè esse, ideoque *Kinnemariæ* Locum ex Diplomate Theodorici V. Holl. Com. anni cIↃ LXXXIII. haut obscurè colligitur. Suspicer igitur; abesse à capite Litteram *O.* atque restituendum OSTERWYK; quod nomen extat ad I. Lapidem à *Beverovico*, pari spatio ab Assendelft & Bus. Fuit tamen, non longè ad orientem, Lacus Ster-Meer / à quo & Vico vicino nomen esse potuit, & esse desiit.

XLV. STETISWERTH.

TEnuis *Hunsingiæ* Vicus est, quondam *Clusâ*, id est, Cœnobio insignior, ex quo raptum Monachum, qui à Prædicatoribus Crucis, tunc Impostoribus maximis, Populum averterat, Abbas Rothemensis subterranea specu in perpetuum condidit, quasi Blasphemum. Narrante Emone ad annum cIↃ CCXXIV. Stits-werth hodie vocatur M. IↃ passibus à *Rothemo* ad austrum.

XLVI. STEVERE.

HEnricus III. Imperator in Diplomate anni cIↃ XLVI. hunc locum ponit in Comitatu, quem ex *Amelandia*, Pago Majore, in usum Ecclesiæ *Trajectinæ*, segregabat, ceu novum quoddam *Daventriæ* territorium suis circumscriptum finibus. Subjicit illi Silvam, per quam transeundum ad *Agastaldaburgum* ultra *Isalam* rectâ in ortum. Ex quibus planum; Et STEVERE & Novum Comitatum, quatenus cis *Islam*, & ipsam *Amelandiam*, hac ex parte saltem, illius Pagi esse, qui *Felua* vulgò dicitur. Extat sane STAVORDEN Vicus, hodie eô loco, quem descripsit Imperator, M. P. XIV. ab Oulst seu *Agastaldaburgo*; paullò minus ab *Amisfordia*. V. ab *Harderovico*. Rudolfus Imperator anno cIↃ CCXCI. & Adolfus ([b]) anno cIↃ CCXCV. Rinaldo *Gelriæ* Comiti potestatem fecerunt condendi novum Opidum hoc STAVERÆ loco. (b) Ap. Pontanum Lib. VI.

Digitized by Google

XLVII. Stria.

Comitatus fuit infra *Durdrechtum* inter *Mosam* & *Vahalim* : Cui præfuit Hilsewydis, seu Hilzondis, Uxor Ausfridi postea Episcopi Traject. uti est in Ejus Vita. (a) Rex Zuentibolchus, jam olim *Gertrudisbergam* & aliâ cis Mosam adjecit. Supereſt Villa Prætoria, veteri nomine, M. P. VI. à *Durdrechto*. Unde Otto II. Imp. territorium ejus, quia amplissimum, Pagorum numero habuit. In Salicis Legibus nomen illi STREONAS datum putatur.

(a) In Actis SS.

XLVIII. Strude.

Wiringiæ Vicus est, nominis servans Orientali in Littore : olim peramplus; LX. enim & XII. mansa, id est, Colonorum habitationes, ibi possedisse Ecclesiam *Trajectinam*, Regis & aliorum dono, fidem facit Vetustissimum Inventarium Bonorum Eccles. Traject.

XLIX. Sturnahem.

Hoc nomine Vicum fuisse in Territorio *Gertrudisbergæ* tradit Otto II. Imp. Cùm hodie nomen non superſit, Sinû haustum facilè crederem.

L. Sulmunda.

Eluæ Vicus est, ad Villam *Lonam* spectans, cum eâdem dono datus Alfrico Episcopo Trajectensi anno IↃ CCCXXXVIII. Hodie Silwoude illi nomen. Quia verò Exscriptores Codicillorum variant; modo SULMONDAM, modò SULNENDAM legentes, utrumque emendandum putarem in SULWOUDAM.

LI. Sunnemere.

Villa vocatur Ottoni III. Imperatori in Diplomate anni IↃ CCCC LXXXV. sanè non modica, quia à se donata Theodorico II. Comiti, in quem largitionibus ubique immodicus. Stokius (b) Rithmographus legit SINNEMARE. Quæ quidem lectio maximopere nos sollicitaret, ut *Kinnemare* restituendum putaremus, atque intelligendam Donationem de *Kinnemaria* regione notissima inter *Rhenum* & *Kinnemum*. Sed intercedit Carolus Simplex Fr. R. qui Theodorico I. jam contulit *Hecmundam*, ad quam, non modò *Kinnemaria*; sed, quædam etiam loca, intra VII. Lapidem, cis *Rhenum*, pertinuisse constat. Neque respiciendum est ad Sonnemaar / *Scaldiæ* vicum in

(b) In Dider. II.

in Comitatu *Wasda*; utpote quem jam pridem ex Donatione Lotharii R. Fr. obtinuerat idem Theodoricus II.

Quòd si intentiùs consideretur; Ottoni animum fuisse, Theodorici arbitrio subjiciendi omnia, quæ inter *Scaldim* & *Flevum* supererant; facilè intelligetur, SUNNEMERE pertinere ad illum tractum, qui *Lacui Harlemensi* ad ortum hibernum est, inter *Rhenum* & *Tham*, cujus aliàs titulus nullus *Hollandis* quæsitus. Igitur fuisse oportet Villam non vulgarem, sed sedem Cæsarei Procuratoris, ex hac, in omnem illum Tractum, potestatem Prætoriam & Quæstoriam exercentis; quales *Guastaldos* illa dixit ætas. Atquè hinc elucet Theodorici posteros, jam omni littori inter *Scaldim* & *Flevum* præsidentes, per summam rationem *Marchiones* fuisse vocatos ab Hermanno Contracto: Haut secùs quam Flandri, oræ citerioris, in Fretum usque Britannicum, Præsides, eundem titulum præscripserint: minimè verò per contemptum, uti non nemini visum fuit.

LII. SUTHERDICKE.

SIc Continuator Menconis, ad annum cIↄ ccLXXXVII. vocat vicum *Marnensium*, situm ad aggerem intimo recessui *Marnamanis Portûs* quondam objectum, qui illis *Australis*, adeoque **De Zuder-Dyck**. Hodie ab ora Portûs remotior est, & vulgo **Suyrdyk** appellatur; uti **Sutherhusen / Suyrhusen** pro **Suyerhuysen**.

LIII. SUTHERHUSUM.

HUjus mentionem injicit Emo ad annum cIↄ ccxxIV. Vicus est *Frisiæ Cislavicanæ*. Passibus M. D. à *Lavicæ* ripa. IX. à *Doccumo*. Primarius Præfecturæ *Oostagicæ*, palustri in solo. Retinet nomen SUDERHUSUM & contractè **Suyrhuysen**.

LIV. SWADENBURCH.

LOcus ad inferiorem *Rhenum*, cui & **Streede** nomen fuisse ait Fridericus I. Imperator, à quo vicinæ paludi **Steechter-Polder** appellatio superest, ubi Romanorum tempore *Nigrum Pullum* extitisse diximus Parte I.

Variè scribitur Veteribus; modò **Swadenburg** / modò **Swatburg** / modò **Swachtenburch**. In Catalogo Bonorum Traject. etiam *Swattingaburi*. Caput est minusculi Comitatûs, quem Theodoricus Holl. Comes Bavoni Clienti Ecclesiæ Traject. abstulisse asserit M. Vossius (*), una cum *Bodegravensi*; de quo tamen certiora constant ex Diplomate Henrici IV. anni cIↄ LXIV. (*) Annal. Holl. Lib. I.

Hujus memoriam sæpiùs refricuit *Rheni obstructio, eò loci injustè & violenter instituta ab Hollandiæ Comite, in hominum innumerabilium locorum-*

corumque submersionem : Quam ideò destrui præcepit Fridericus I. Imperator; ita ut aqua Rheni sine omni obstaculo & omni tempore anni fluat & decurrat sicuti antiquitus solebat, [sunt verba Edicti anni CIƆ CLXV.] Et Wilhelmus I. Hollandiæ Comes *juratò promisit; se deinceps, nulla unquam occasione, Renum apud* **Swadenburg** *vel alibi obstructurum*, anno CIƆ CCIV. Eadem quoque jurante Ludovico de Los, Adæ Hollandiæ Com. Marito; *ut Rhenus apud* SWATBURG *nunquam obstruatur*, eodem anno. Mox tamen denuò renata lis inter Conradum Episcopum & Florentium Comitem, *super obstructione Dammi apud* SWACKENBURCH, determinanda jurejurando Testium utrinque delectorum. Cœterùm Wilhelmus I. bellô cum Lossensi Comite, Munimentum hîc excitavit contra Trajectinos, cui à veteri obice **Swadenburchdam** nomen fecit, teste Stokio ad annum CIƆ CCIV. quod hodie corruptum in **Swammerdam**. Situs ejus est ad sinistram *Rheni* ripam M. P. III. supra *Albiniana* seu **Alfen**.

LV. SWANESDRECHT.

Vicus est ad *Goldæ* alveum, qui à *Rheno* ad *Islam* ducit. Terminus inferior Jurisdictionis, quam Andreas Episcopus S. Salvatori Trajectensi concessit illum in tractum anno CIƆ CXXXIX.

LVI. SVETA.

Limitis *Suthardeshage* principium ad *Rhenum*. Hodie ZWIETEN. M. P. VI. supra *Lugdunum*. Ejus mentionem fecêre Inventarium Bonorum Ecclesiæ Trajectinæ, & Theodoricus V. in famosissimo Diplomate anni CIƆ LXXXIII. Stokius ([a]) vocat **Zweeten** / verè **Zuthen**.

([a]) In Dider. III.

LVII. SVINDRECHT.

Hujus meminit Ansfridus Episcopus in Diplomate anni CIƆ VI. Retinet nomen, nulla omnino mutatione, in ripa *Mosæ*, *Durdrechto* opposita.

LVIII. SWINUM.

Hodie velociter pronuntiantibus 'T ZWEM. Arx est, pari spatio à *Mosa* & *Vahali*, è regione **Ravestein**. Transiit Donatione anno IƆ CCCL. ad Ecclesiam *Trajectinam*.

I.

Digitized by Google

T

I. TARATINA.

PRædium ſuum hujus loci dono dedit V. N. Baldricus anno IↃCCCL. Eccleſiæ *Trajectinæ*. Cùm verò omnia Loca, quæ iiſdem Tabulis tranſierunt in Dominium dictæ Eccleſiæ, ſint intra *Rhenum bicornem* & *Moſam*, ſuſpicer INEN indicari ob terminationis ſimilitudinem. Vici duo ſunt, ad *Vahalis* dextram, ſupra *Bomelam* Opidum; quibus nomen OP- & NEER-INEN. Fortè antiquitus fuit quoque medius, adeoque TRIA INA, unde corruptum TARATINA.

II. TEYLINGEN.

GEntis quam Arcis frequentior Monumentis & Annalibus mentio eſt. Loci tamen meminit Florentius V. in Diplomate anni CIↃ CCLXVI. Extant reliquiæ prope littus trans *Rhenum* M. P. IV. à *Lugduno*. TEILINGIORUM, poſt Wilhelmum (a) conjuratorem in necem Florentii Principis, nulla recurrit mentio. Maria Wilhelmi I. Vidua in litteris (b) anni CIↃ CCXIII. ſcripſit Theilingen.

(a) Ap. Stokium in Flor. V. & Joan. I.
(b) Ap. Buxhorn.

III. TEISTERBANTIA.

MOdò Pagus, modò Comitatus vocatur, ſed in quo alii minores. Ex Lotharii Regis hæreditate ceſſit Ludovico Germanico anno IↃ CCCLXX. Aimoino (c) TESTEBRANT dictus. *Tiela* hujus intra fineis ponitur, uti & *Thrile*, in Diplomatibus Epiſcoporum IↃ CCCCXCVII. & CIↃ VI. Rurſum *Bomele* & *Arclo* in aliis IↃ CCCCXCVIII. & CIↃ XIII. ſeu potius CIↃ III. Joannes Iſ. Pontanus V. C. putat *Teiſterbantiæ* Pagum fuiſſe complexum omne illud terrarum, quod intra *Rhenum* novum, vel *Leckiam* & *Vahalem Moſamque* veterem eſt, ductâ lineâ per *Tielenſem Iſthmum*. Cùm Lotharii Regnum Germanis & Francis divideretur, occiduum *Teiſterbantiæ* limitem longiſſimè ad *Moſam* pertinuiſſe fatendum utique eſt: Sed poſtea prolatum in *Demeram* fl. & ultra; ubi *Strienſis*, *Rienſis*, *Hujenſis* & *Lovanienſis* Comitatus, Teiſterbantinæ Dicionis omnes, ſatis quoque conſtat ex Vitæ Ausfridi Scriptore. Ampliſſimus adeoque, nec non antiquiſſimus his terris Comitatus fuit, ab Ausfrido Trajectenſi Epiſcopo Comitum ultimo, in varias partes diſſectus & diſſolutus, maximâ Eccleſiæ ſuæ addictâ, circa annum Chriſti CIↃ VIII. ſecundùm Bekam: Quam

(c) Hiſt. Franc. Lib. V c. 25.

Digitized by Google

dispositionem à Conrado II. anno cIↃ XXVII. firmatam conjicit Buchelius. Hodie toto hôc Tractu nullum antiqui nominis vestigium apparet usquam, nisi nuper ab orco revocati in Parochia *Avezate* prope *Tielam*.

IV. TEXLA.

PAgus amplissimus fuit, secundum Ottonis III. Diploma anni IↃ CCCCLXXXXV. complexus ambitu omne illud terrarum, quod ultra *Kinnemum* & *Tham*, intra *Oceanum*, *Lacum immensum* & *Salam* inferiorem est. Divisus in tres Comitatus WASALANT, [ità restituimus] KINHEM, & TEXLAM arctiore significatû; Quos eàdem largitione simul omnes in Theodoricum II. profudit Imperator, vix ex ephebis egressus, Augustæ Matris & Treverensis Archiflaminis potissimum instinctu, quorum illa Theodorici Nurui, in cujus prolem hæc omnia reciderent, Soror; Hic ipsius Donatarii filius. In fines hujus Comitatus inquirere supervacaneum est, quia præter TEXLAM, fortè, & *Wiringiam* Insulas, hodie vix quicquam superesse putem. Arcem quoque fuisse cognominem, & Pagi & Comitatûs Caput, ex eo satis intelligitur; quòd in illam Wilhelmus I. Comes custodiendam relegaverit Adam, defuncti fratris filiam, anno cIↃ CCXI. secundum ea, quæ narrantur in Membrana Trajectina ab Authore æquali.

V. THEODEN.

VIx est quin hodie DIEDEM vel DIEM vocetur. Vicus *Zutfaniensis*, inter *Dotechem* & *Zevenar*, dono adjectus Ecclesiæ *Trajectinæ* anno IↃ CCCXXIV.

VI. THEOLF. DELF.

ANno Christi IↃ CCCLXXXIX. non nisi Quæstoria Villa fuit, seu Hoba vel Mansa [Rentþoff] ad *Suthardeshagam* seu Comitatûs Gerolfiani limitem austrinum, eò loci DELF dictum, seu, duriore ejus ævi pronunciatû, THEOLF. Librarius enim locô F. malè E exaravit in vocis fine, atque THEOLE scripsit.

Addita tunc, unà cum VII. aliis, Gerolfi possessionibus, largitate Arnulfi Imperatoris. Dynastas posteà habuisse, quibus Gentilitium nomen fecit, indicium faciunt Litteræ Adæ Comitissæ anni cIↃ CCV. Meminit quoque DELFÆ Wilhelmus Adæ filius anno cIↃ CCXXII. Quando in Opidum excreverit, indubitata auctoritate prodirum non comperii: Cœterùm quòd jam fuerit anno cIↃ CCLX. testatur Opidi sigillum, à Scabinis de DELF appensum Litteris Buxhornio

hornio adductis. (a) Dudum Civitas amplissima & splendidissima, inter *Hollandicas* ordine dignitatis tertia. Sita, felici in solo, M. P. V. ab *Haga*, IX. à *Roterodamo*. Nivesiensis Compilator Chron. M. Belgici, se alicubi legisse ait; Opidum DELFFT primo ædificatum à Godefrido Gibboso circiter annum Christi CIↃLXXIII. auctum verò & Privilegiis ornatum ab Imp. Wilhelmo.

(a) In Theat. Holl.

VII. THELDEN.

MEntio ejus est in Diplomatis Ottonis III. IↃ CCCCXCVI. & Lotharii II. CIↃ CXXXIV. ceu Curtis [Tentkoff] quæ *Zutfaniæ* Comitis dono facta est *Eltensis* Abbatiæ. Reperitur hodie *Tuentæ* Opidulum non procul à *Zutfaniæ* finibus nomine DELDEN; Item Vicus in ipso Comitatu M. P. V. à Metropoli. Alterutrum designari vix dubium est.

VIII. THIAMERSWERVE.

VIcus est in *Fivelingiis* ad rivum Dammensem, quem illustri Plebano, id est, Pastore secundùm nos, honestat Emo Werumensis ad annum CIↃ CCIX. Hodie TIAMSWEER M. P. vix longiùs supra *Appingadamum*.

IX. THIEDERADESKERKE.

ECclesia, quam ipse Episcopus Trajectensis Burchardus donavit anno CIↃ CI. Canonicis D. Joannis, ceu laborantis animæ suæ certissimum remedium. Quia verò *Dublæ*, propè *Durdrechtum*, proxima, in Sinu Biesbos fortè quærenda erit.

X. THIELA.

OPidum primarium Peninsulæ cognominis. Ultima ejus memoria est in Zuentibolchi Regis Diplomate anni IↃ CCCXC. quo vocatur Episcopatûs *Trajectensis* locus, ad quem Ecclesiæ vectigalium concessa immunitas. Et repetitò ab Henrico I. & Ottone M. filio, qui testatur *Novam* ibi *Civitatem lapideam* esse constructam, à se Trajectini juris factam anno IↃ CCCCL. à *Normannis* postea anno CIↃ IX. incensam, atque ab Episcopis refectam, auctamque eximio Templo anno CIↃ XV. denique commissam fidei *Brabantiæ* Ducum. De quo extat testimonium in Catalogo Vassorum Trajectensium. Fridericus II. Imperator Vectigalium pensionem inde *Werdam* transtulit anno CIↃ CCXX. Seculo proximè secuto *Gelrici* demum juris facta est, ex permutatione cum *Brabantino* contracta. Situm habet ad *Vahalis* dextram M. P. XVIII. infra *Noviomagum*.

XI. THIELREWERT.

PArs *Batavórum Insulæ*, *Gelricæ* Dicionis, ipsa pæne Insula inter *Vahalim* & *Lingiam*, exiguo Isthmo *Bathuæ inferiori* cohærens, à *Thiela* præcipuo Opido & *Werth Insula* hoc nominis nacta: Tenent tamen hodie ejus particulam quandam *Hollandi* ad dictorum amnium confluentes. Prima ejus mentio est, in Catalogo Vassorum Trajectensium. Gerardus Gelriæ Comes omnem suam Dicionem intra Veteris *Bataviæ* fines quadripartitus est in *Mosawalam*, TIELREWEERDE, *Boemelreweerde* & *Betue* anno cIↃ CCCXXV.

XII. THORENE.

VIcus insignis est, medius inter *Trajectum* & *Renum* Opida, ad viam regiam, cujus usumfructum Alfricus Episcopus concessit anno IↃ CCCXXXVIII. Rotgario Comiti, ut gratiam referret pro beneficiis ab illo in Ecclesiam collatis. Ætate Bekæ jam per D. scribi coeptum DOORNE, quod hodieque obtinet: Licet à *Turre* denominatio facta videatur in Inventario Bonorum Trajectensium Scriveriano: Pro quo tamen legitur in Hedano, *Villa* THORHEM *cum Ecclesia ab Haghardo donata S. Martino*: Postea ab Episcopô, necessitate urgente, aliis divendita, sed reddita, Imperii Decreto, rescissâ venditione, anno cIↃ CXXVI.

XIII. THOSA.

PEr Vicos à mari proximos, inter *Hecmundam* & *Rhenum*, agri plurimum Ecclesiæ *Hecmundanæ* dono dedit Arnulfus Com. teste Theodorico V. Pronepote in Diplomate anni cIↃ LXXXIII. Hos inter, ab *Hecmunda* proximus, *Casterchemum* versus, vocatur THOSA; Stokio THOSEN. Num Locus supersit alio vocabulo incertum. Vetus illud exolevisse videtur. Idem de vicinis aliis *Ordebolla*, *Obbinghem*, *Smithen*, &c. Theodorici II. largitate celebratis.

XIV. THRIENDEN.

GElriæ quendam locum esse, satis intelligitur ex Diplomatis Ottonis III. anni IↃ CCCCXCVI. & Lotharii II. anni cIↃ CXXXIV. Sed mihi hactenus incompertæ positionis. Sono tamen appropinquant ad THRIENDEN, *Tzinderen* in *Felua* infra *Zutfaniam*, Et *Dryne* in *Tuenta* propè Delden.

XV.

XV. THUINA.

DEscribitur Hedæ in Alfrico ex Tabulis anni Iↄ cccxxxviii. Villa Prætoria in *Pago Leomerike*, id est, *Lymers*, sub qua *Vicus Alatinge*. Ottoni Magno in Diplomate anni Iↄ cccclxx. vocari videtur *Curtis Thumna*. DUIVEN hodie appellatam, unius litterulæ mutatione, suspicari licebit ex sitûs convenientia à *Rheni* ripa dextra M. P. II.

XVI. THULE.

VIcus est, ad *Bracolæ* Prætorium ['t Gericht van Breukelen] quondam spectans, Ecclesiæ *Trajectinæ* à Rotgario Comite donatus anno Iↄ cccxxxviii. Hodie T. in Z. mutato ZULEN vocatur M. P. II. infra *Trajectum* in dextra *Vechtæ* ripa. Sunt quidem ad *Vabalim*, ripis oppositis, Brakel & Thuyl; Sed Donatio Trajectinum agrum non excedere cognoscitur.

XVII. THUREDRECHT.

URbs *Hollandiæ*, dignitate Prima, ætate *Lugduno*, *Brihelâ*, *Delfâ*, *Alcmariâ* minor, præter *Franloam*, *Flardingam*, *Rhenoburgum*, quæ vel planè, vel saltem Urbes, esse desierunt. Hoc nomine significatur in vetustissimo quod ejus extat monumento, Henrici IV. Diplomate anni cIↄ lxiv. Merè Germanicum id esse, dubitare non licet de loco & vocabulo, diu post Romanorum tempora demùm nato. Quid per vocem THUR vel DUUR, significarint Veteres, Parte I. vidimus. Hîc dispiciendum, quid sibi velit altera, DRECHT vel TRECHT, locis infinitis communis: non modo singulariis, sed terræ quoque Tractibus, aquarumque rivis. Quædam Singulariorum, fluviis assident; ut Durdrecht / Zuindrecht / Papendrecht / Slydrecht / Haastrecht / Moerdrecht / &c. Quædam non; ut Mydrecht / Loosdrecht / &c. Terræ autem Tractus, ejusdem conditionis sunt, palustres nempe omnes, veluti Drechterland *Liesfeldiæ* Dicionis; De Drechten in *Westfrisia*; De Drachten in *Oostfrisia*, &c. Rivi hoc nomine sunt in *Rhenolandia*, Maaldrecht; In Amstelandia Drecht / Aysdrecht / Holendrecht. Igitur non ejusdem originis & significatûs esse apparet, idem specie vocabulum. Tres potissimùm occurrunt voces, à quibus duci poterit derivatio; Dragen; Trecken / & Darg seu Drech / adhibita metathesi: Quarum prior significat *Portare*, *Ferre*; Media *iter facere*, *Ducere*. Posterior *glebæ ustilis genus*, cujus heic nulla ratio. Igitur vel Drecht à Dragen / vel Trecht à Trecken / ad hujus nomenclaturæ etymon pertinebit. Illud,

denotare Forum Mercatorium, seu Nundinis celebrem locum, quo merces comportantur; non aliâ formâ, quàm *Romanis* Forum à Ferendo, Hadrianus Junius V. Cl. jam dudum ostendit. Hoc verò, ejusque synonymum **Tocht**, vel Locum, per quem via Regia ducit, vel Aquagium. Duxisse autem Viam Militarem ex *Brabantia* in *Hollandiam*, & vicissim, per THUREDRECHT, antequam Sinum, qui nunc est, sibi aperuit *Oceanus*, uno ore testantur Annales Leodiensium, Trajectensium & Hollandiensium. Forum ibidem fuisse & Opidum, ante Stokium, nemo. Præterquam, quòd nihil ambigendum, quin Transitus Foro antiquior sit; certissimâ sequendi ratione, à Transitu, non à Foro, genuinum & primitivum Urbis nomen esse, accedente voce THUR vel DOUR, quæ inter alia Aquam notabat: Quia hac, non tantùm *Transitus* erat; sed etiam *Fluminis*. Atque hinc compositum vocabulum THUREDRECHT vel DURTRECHT, pro usu promiscuo litterarum *T.* vel *TH.* & *D.*, emanasse, nulla solida dubitandi ratio est.

Regino Prumiensis Abbas seculi XI., id est, sui Scriptor, meminit, ad annum IↃ CCCXCVIII. Loci, cui DURFOS nomen, ad *Mosam* jam maris æstus patientem, [recursiones ille vocat] quo se recepit Reginarius Dux, à Zuentibolcho Rege proscriptus, vel certè in exilium actus; Castrô ibidem excitatô tantæ firmitudinis, ut iterata obsidione expugnari à Regiis non potuerit. Hoc Urbis *Durdrechtanæ* initium, qui faciant, non desunt, conjecturâ (ut liberè proloquar) nimis audace: Cùm in primæ Syllabæ consonantiâ, præsidii opidò parum sit, tot locis appellatione DUR. variis de caussis, adhærente: Et nihilo plus in *Mosa* æstuante, quia longior ille Tractus & loca plurima alluens: Immò, quod caput est, ne quidem probari poterit, legitima authoritate, præter Veterem *Mosam*, eâ ætate, novum, qui *Vahali* serò junctus DURDRECHTUM hodie præterlabitur, fuisse cognitum. Hæc itaque, si clementissimè excipiantur, in dubiis reponenda erunt.

Quæ comperta sunt de Nobilissima hac Urbe, supra Seculum XI. repeti posse, non crediderim.

Post mortem Ausfridi Trajectensis Episcopi, *Teisterbantiæ* Comitum ultimi, quæ incidit in annum CIↃ VIII. Cùm Alii alias ejus Comitatus partes sibi adjungerent, ortum est bellum, inter Trajectensem, & Theodoricum III. Comitem, super Diciones quasdam *Isalam* inter & *Mosam*; maximè de Comitatu, cui tunc soli *Hollandiæ* nomen: Quo Victor Comes in se Cæsarum provocavit iram & arma. Ut igitur transitu prohiberet adventantes contra se exercitus ex *Brabantia*, vix est, quod DURDRECHTUM sine munitionibus & firmo præsidio relinquere potuerit, quacunque denique conditione fuerit ille locus. Nullus quidem Scriptor æqualis id disertim prodidit; Sed satis innuunt gesta ad DURDRECHTUM, & intra ejus moenia,

quæ

quæ Stokius refert ad annum CIↃ XLVIII. sub Theodorico IV. Surrexisse autem Stokii Portam [De Poert tot Dordrecht] tantillo tempore in Urbem tam insignem, qualem nobis repræsentat M. Vossius, (a) vix etiam crederet, qui Henrici IV. Imperatoris Diploma CIↃ LXIV. sanè sincerum, non vidit; in quo THUREDRECHTI prima mentio; minimè, ut Urbis, immò ne quidem ut Parochiæ; Sed ut Cappellæ, & quidem noviter constructæ. Adeò ut, ante hoc bellum, non nisi paucissimas habitationes ad hunc Transitum fuisse oporteat, quibus necdum Cappellâ opus, Altari forte sufficiente, quod Ædicularum sacrarum minutissimum genus erat, quarum Sacrificuli Altaristæ vocabantur, Cappellanis minùs venerabiles, uti hi Plebanis & Parochianis. (a) Ann. Holl.

Accessisse tamen Theodorici munitionibus & Præsidio augmentum haut exiguum, planè indicat Ecclesia mox dedicata, eodem adhuc anno CIↃ LXIV. uti est in Trajectensi Indiculo Ecclesiarum per Diœcesin dedicatarum. Atque sic brevi in Opidum excrevit, vel cum ipsa dedicata Ecclesia jam factum fuit, cui subjectum territorium satis amplum, quod *Brabantiæ* Duces Episcopi *Trajectini* beneficio, aliquando tenuisse testatur Buchelius ex ipsis Urbis archivis. Cujus tamen haut longa usura illis esse potuit; Quoniam Theodoricus V. & Florentius Fratres non multos post annos, recuperarint omnia ab Imperatoribus ablata, & Episcopis, [uti loqui amat Imperator] reddita.

A pluribus seculis Metropoleos dignitate fuisse, saltem per *Zuitbollandiam*, vel ex eo præclarè intelligitur; Quòd Principes, qui *Hollandiæ* Imperium ambivêre, omnium primò DURDRECHTUM petierint, uti de Ludovico Lossensi, Ottone Gelrensi & Adolfo Clivensi nominatim notatum reliquit Stokius. Qui & testis est; Urbis, à Trajectinis Lossensi faventibus, interceptæ, direptæ, incensæ circa annum CIↃ CCX. Sed quæ brevi, non modo resurrexit è cineribus, formâ ampliore & nitidiore, novis, & firmioris operis, mœnibus aucta; Verùm etiam ad Mercaturæ principatum sibi viam paravit, nacta novum Privilegium; quod *Stapulæ* vocant; Lanarum primò circa annum CIↃ CCLXXXII. de quo Stokius (b), mox & aliarum rerum promercalium; unà cum immunitatibus variis, Florentio V. & Joanne filio Euergetis; Quorum supersunt Diplomata CIↃ CCLXXXIV. CIↃ CCXC. CIↃ CCXCIX. Urbium itaque *Hollandicarum* Princeps, jam per quatuor ætates, citra controversiam, fuisse cognoscitur; multis nominibus Præclarissimum DORDRECHTUM; sic enim scribere evaluit; *U.* in *O.* & *TH.* in *D.* secundum longinquam consuetudinem, mutatis. (b) In Florent. V.

Situ peropportuno est, læva in ripa alvei, qui *Vahali* & *Mosæ* communis, ex quo, tempore, è regione Urbis fossâ ducta ad *Leckiam*, ignorato Seculo, M. P. XIII. non longiùs ab *Oceano*. *Zelandiæ*

landiæ insuper Euripis facilem in oras occiduas transvectionem commodantibus.

XVIII. TICE.

CHarta Werdensis hoc nomine Vicum appellat in vicinia *Groningæ*. Quem *Ticenge*, vel, secundum hodiernos, *Thiessinge* seu *Thezinge* esse reor. Posteà Abbatiali *Monasterio*, *Thiasinga-Closter*, uti tunc loquebantur, nobilitatum, cujus supersunt haut tenues reliquiæ M. P. IV. ab Urbe in ortum.

XIX. TIEZELINESKERKA.

ECclesia est in **Hollant**/ quam B. Petro in *Trajecto* addixit Episcopus Godeboldus anno CIↃ CXXVI. Per **Hollant** hîc intelligi Comitatum, qui est ad *Vahalis* alveum, cui antiquitus *Helle*, hodie *Merwe* cognomen, supra & infra *Roterodamum*, dubitare non licet; Quamvis Ecclesiæ illius nomen nusquam hodie reperiatur. In cujus fortè locum evaluit RYDER-KERK, quia Eques Ticelinus Conditor. Extat inter *Dordrechtum* & *Roterodamum*, ripâ lævâ.

XX. TOLA.

ZElandicarum Urbium ordine postrema, sic dicta à Telonio ibi constituto, vernaculè **Ter Tollen**/ id est, *Ad Telonium*. Usu evaluit scriptio per L. simplex, locô geminati, TER TOLEN. Veteri Abbatia, quam vocant, quondam Illustris fuit, cujus Præsul ordine prior reperitur *Middelburgensis*, in Diplomate Wilhelmi I. Holl. Com. anni CIↃ CCXIII. Ubi scriptum; *Abbas de Tholan*. Stokius narrat; **Die van ter Tolen** in loco **Ter Lode** cæsos à Joannis II. Milite anno CIↃ CCC. Facit nomen toti Insulæ, particulæ quondam Pagi *Scaldis*. Situm habet M. P. II. à dextrâ *Scaldis* orientalis ripâ, ad Euripum, qui illac ducit in majorem, cui **Slaak** nomen.

XXI. TOORNEBURCH.

KInnemariæ Castellum à Willhelmo Imperatore, anno CIↃ CCLV. excitatum, *ad sempiternum Fresonum offendiculum*, uti loquitur Beka. (a) Inter *Vronam* & *Alcmariam* fuisse testatur Stokius (b), adeo propè à recentioribus duobus aliis, ut alterum alteri intra teli jactum fuerit;

(a) In Henrico.
(b) In Florent. V.

Want (ait) sijne staen niet so wyt/
Men scote wel te twee deelen
Grote schichte / grote quarelen.

Ex tribus autem illis hoc nostrum *Alcmariâ* proximè abest.

XXII.

XXII TORVES.

IN Diplomate Ottonis M. anni IↃ CCCCLXX. hoc nomen reperitur inter *Liendle* & *Thuly*, seu Lienden & Thuyl/ Inferioris *Batua* & *Insulæ Thilensis* vicos, *Rhenum* inter & *Vahalim*.

XXIII. TRAJECTENSIS URBS AD MOSAM.

FRancorum Saliorum Opidum, cis *Rhenum* antiquitate primum, *Mosæ* impositum. M. P. XII. à Vetere *Tungrorum* Metropoli *Atuaca*, totidem supra *Leodicam* Cathedræ honore hodie præfulgentem. Cùm Attila *Chunorum* Rex, seculô V. adultô, inter plurimas *Galliarum* Civitates, *Tungrorum* quoque everteret, Hic locus jam TRAJECTENSIS URBS vocatur Gregorio Turonensi ([a]); ad quam ab *Atuaca* seu *Tungris* confugit Servatius vel Arvatius Præsul; Ejusque Successores sedem transtulerunt, & tenuerunt quoque: Donec & ipsa à *Normannis* anno Christi IↃ CCCLXXXI. fuerit eversa. Urbem autem munitam fuisse, tum Servatii refugium, tum *Castri* nomen, quod huic *Trajecto* addit Regino, palam faciunt.

(a) Hist. II. c. 5.

In Divisione Regni Lothatii inter Ludovicum Regem Germaniæ & Carolum Calvum Franciæ, paullò ante annum IↃ CCCLXX. institutâ, vocatur TRECTIS apud Aimoïnum. ([b]) Vulgare autem nomen fuisse TRICHT, quod hodieque perdurat in MAASTRICHT, evincit TRIJECTI scriptio, quæ in Vitis Sanctorum sæpiùs occurrit. A *Normannorum* desolatione instauratam jam fuisse anno IↃ CCCXCI. Regino non obscurè subindicat. Amplà deinceps, copiosa & munita Urbs, pilæ instar agitata licet à Belligerantibus. Utramque *Mosæ* ripam obsidet, eximii operis Ponte junctâ. Ulterior Regio, quæ & Minor, WYK, id est, Vicus appellatur, jam ætate Eginhardi, notô vocabulô. Citerior & maxima MAASTRICHT, id est, MOSÆ TRAJECTUS. Quod genuinum Urbi nomen, scitiùs multô, quàm quo proximè anterioribus seculis usi sunt latinitatis rudes TRAJECTUM SUPERIUS. VII-Fœderatorum hodie, hac parte, firmissimum Propugnaculum est.

(b) Hist. Franc. Lib. V. c. 15.

XXIV. TRAJECTUM VETUS.

ITa, successu temporis, neutro genere dictum fuisse locum, ad quem *Romani* ex *Insula Batavorum* *Rhenum* in *Frisios* trajicere solebant, ex plurium Imperatorum Regumque Diplomatibus præclarissimè constat; Caroli M. nempè IↃ CCLXXVI. Ludovici Pii IↃ CCCXXIV.

Lotharii I. IↃ CCCXLVI. Ludovici Germanici IↃ CCCXLIII. Zuentibolchi IↃ CCCXC. Conradi I. IↃ CCCCXIV. Henrici I. IↃ CCCCXXXIV. Ottonis M. IↃ CCCCXXXVIII. Henrici II. CIↃ III. &c.

Et vel maximè consentaneum erat vocare OLT-TRECHT, id est, VETUS TRAJECTUM, locum omnium primò hoc usu cognitum, ejusmodi aliis, jam passim, institutis. Licet postea in locum VETERIS successerit Inferioris appellatio : inscita illa quidem, uti Parte I. indicatum, usu recepta tamen, jam apud Ottonem Frisingensem ([a]), adeoque ante annum CIↃ CCLXII. quò de etiam extant Litteræ *Coloniensium*, quas suis in Hedam notis inseruit Doctissimus Buchelius. Voce Germanica *Olt-trecht* etiam dudum ante in **Utrecht** degeneratâ, teste Aimoïno ([b]) & Tabulis Donationis anni CIↃ L. ([c]) Latino-barbarè scribentibus tamen mansisse integram, *O.* in *U.* versô, mihi equidem nullum est dubium, ac unum idemque *Oltrajectum* & *Ultrajectum*. Cujus vocabuli, inde à Seculo IX, quo vixit Sigebertus Gem., ad nos usque usus multus apud Scriptores est. Atque hæc de nomine.

(a) Vit. Frid. I. Lib. I. c. 15.

(b) Hist. Franc. Lib. V. c. 35.

(c) Ap. Hedam. in Bernulpho.

De Conditione Loci compertum est ex Bedâ & Vita Willebrordi, à Theofrido Epternacensi conscripta, illa ætate Castellum tantùm fuisse, ubi tunc solium *Frisiæ* Regum. Cujusnam verò opus? nec illi addiderunt, nec vetustiorum vel recentiorum alius. Carolus etiam Martellus ubique in Litteris Castrum TRAJECTUM vocat. Pipinus Filius, & Carolus M. Nepos, *Vicum super fluvium Rheni*, *subtus Dorestato*. Successores diu *Ecclesiam Trajectensem* dixere. Otto I. *Civitatem*, Wippo etiam in Vita Cunradi II. *Trajectum*, *Civitatem Frisiæ*, quâ voce, tum Urbes Diœcesios Principes, tùm Diœceses universas indicare receptum erat. Manente semper nomine TRECHT, sed cum designatione loci, in quo constructa Ecclesia S. Martini, uti in Litteris ejusdem Imperatoris IↃ CCCCXLVIII. & IↃ CCCCLIII.

Cæterum, quia eò potentiæ, à parvis initiis, potissimum succrevit per Sacra Christiana, inde repetere convenit ultimam memoriam. Quæ, secundum Bedam ([d]), est à Wilfrido, homine Frisio, Northumbrorum Episcopo, qui, *Romam* petens fortè in *Fresiam* delatus, Primus Euangelii facem Popularibus suis præluxit circa annum Æræ Christi Vulgaris IↃ CLXXIX. Aldegislo, mitissimi ingenii Principe, Frisiorum Duce aut Rege; Pipino Martelli Patre Austrasiæ Regnum, Pro Rege Theodorico, administrante; Qui Primus *Francorum Cisrhenanorum*, religionis obtentû, antiquam Patriam respicere cœpit, uti ex Sigeberto Geminiacensi constat. Posteritate iisdem vestigiis insistente; donec antiquæ cognationis Gentem in communia sacra adegerint, atque restitutâ libertate fidissimos socios sibi adjunxerint devinxerintque. Unde merito mendosæ lectionis à Buchelio arguitur Pipini Regis Rescriptum Hedæ adductum ([e]) : In quo CHLotharius & Theodobertus, (Quorum alter Regnum *Neustriæ*, anno IↃ LXXXIV; Alter *Au-*

(d) Hist. Eccl. V. 20.

(e) In Bonifacio.

Austrasiæ, anno Iↄ xcv. accepit) aliquid terrarum in *Frisiis*, circa TRAJECTUM possedisse indicantur; Idque dono dedisse *Urbi Trajecto* & *Ecclesiæ S. Martini*. Ubi tunc nulla Urbs, fortè vix Vicus aut Castrum; Nulla quoque Ecclesia, nedum S. Martini, utpote quæ demum ædificata & dedicata à Willebrordo seu Clemente, post annum Iↄ xcvi. Ideoque vix dubitandum, quin ab impostoria manu inepteli infarta sint, saltem hæc, *de CHLothario*, *Theodeberto & Urbe*; Maximè cum in altero Diplomate, quod mox subjicit Heda; Pipinus, non nisi Avi, Patris & Fratris sui faciat mentionem: Neque Urbis, sed Vici TRAJECTI tantùm. Cæterum Aldegislo mortuo, Radbodus Successor, Vir truculentus & profanus, protinus disjecit quicquid à Wilfrido ædificatum, ipsam etiam Cappellam D. Thomæ *Trajecti* structam, referente Marcellino. (a) Sic enim vocarunt Fanum minusculum, in quo exigui Viculi habitatores numero pauci, sacris dant operam. Igitur hactenus ad TRAJECTUM Castrum non nisi paucissimæ habitationes Christianorum, quorum numerum augere nequicquam allaboravit Witbertus duorum annorum continuâ prædicatione. Quamprimùm verò Pipinus Crassus illatas Christianis injurias in Radbodum ultus, omni Citeriore Frisia ipsum exegit; Misso nuper ex *Anglia* Willebrordo cum XI. Sociis; non modò prædicandi licentiam dedit; sed paucos post annos Ær. Christi Vulg. scilicet Iↄ xcvi. eidem postulavit & impetravit à Sergio Papa Archiepiscopatum, quem vocant, in *Fresonum* Gente: assignatô Cathedræ locô, TRAJECTI *ad Rhenum in illustri Castello*, quod nuper Radbodo eripuit. Quorum Testis maximè legitimus est Venerabilis Beda (b) ceu æqualis. Igitur Castrum illud fuit in ripa *Rheni* dextra, in solo antiquorum *Frisiorum*, quia prisci illius Fani oppidò exigui vestigia ibidem hodieque conspiciuntur, in meditullio ferè Urbis dudum amplissimæ, quæ tota *Frisica* [excepto suburbio; quod est ad Fossam à *Leckia* ad *Rhenum* veterem, recenti opere ductam] uti & ipse Vicus antiquus Castro circumjectus: scilicet in quo, æque ac in castro, constructam primam illam Ædem S. Martino sacram, Carolus Martellus, Pipinus & Carolus Magnus disertim asserant. Carolus autem Martellus devicto Frisiorum Duce Poppone, adjecit Decimas in stipendium Monachorum, quos vocat Canonicos, cum Castris tribus: Et crescenti Ecclesiæ Templum alterum, S. Salvatoris, hodie **Oud Monster**. Carolomannus & Pipinus, nihil, præter præcedentium largitionum confirmationem. Carolus Magnus verò, omni *Frisiâ* jam sibi addictâ, bona plurima inter *Rhenum* & *Leckiam*, atque ad utramque *Hemi* ripam. Imperatores & Reges Successores etiam longè majora. Cæterùm hasce tantas opes, quæ Urbi maximæ condendæ sufficerent, eripuere semel & iterùm *Normanni* Prædones, Episcopô & suis ad mendicitatem redactô; Castrô etiam ipsô, cum magna *Frisiæ* parte, diu retentô. Quæ caussa fuit, quòd TRAJECTUM Castri

(a) In Vita Suidberti.

(b) Hist. Eccl. V. c. 11. 12.

axioma nondum deposuerit, Aucupe Regnante; uti testantur Litteræ Baldrici Episcopi, nuper Præceptoris filiorum Henrici, datæ anno Iↄ ccccxxxiv. in CASTRO TRAJECTENSI. Ex quo ipse tandem, profligatâ Tyrannide, ad quietam Patrimonii Martiniani possessionem reversus, URBEM fecit; Fossis, Pontibus, Portis, Muris & Propugnaculis, contra hostium insultus, probè munitam: Reparatis quoque utcunque Ædibus S. Martini & S. Salvatoris. Diœcesi licet divisâ cum *Mimigarfordiense*; atque amissâ Metropoleos dignitate, quæ *Coloniæ Agrippinæ* interim accessit atque deinceps remansit. Post hæc autem Otto M. continuò CIVITATEM appellavit, hoc ævi, maximarum Urbium, in quibus Cathedræ, peculiari quodam vocabulô: immodica tribuens suo quondam Præceptori; regium etiam Jus cudendorum numorum. Quam munificentiam semper auctum ivêre Posteri: *Franci* in primis Imperatores, damnum Civitati denuò à *Normannis* illatum anno cIↄ ix, teste Sigeberto, largissimè resarcientes; Ea quoque donantes, quæ jure vix poterant: Protinusque jactis fundamentis Templi Novi mole stupendi, cui *Ecclesiæ Majoris*, item *Novi Monasterii*, vel per excellentiam *Domûs* addita appellatio cIↄ xxiii. Nec multò post duorum aliorum S. Petro & S. Joanni dedicatorum: Denique & quarti Divæ Virgini Mariæ sacrati. Post Henricos Francos, quorum ultimi, Euergetæ licet summi, justissimam indignationem, non nisi multo ære placatam, provocarat lasciviens rebus affluentibus Civitas; Suevos, avarissimis Præsulum precibus æque indulgentes initiô experta est: Conrado III. mox Antistitis constituendi facultatem, hactenus Imperatori propriam, in Capitula, quæ vocant, Majoris Ecclesiæ & S. Salvatoris transferente, atque plurima elargiente instaurandis operibus publicis nuper incendio haustis, ornandæque Urbi. Ducta è *Rheno* in *Vechtam* Fossa, quæ *Vetus* dici cœpit, ab illo tempore, quo Recentior, magis ad ortum, depressa fuit. Sed & hujus Indulgentissimi Principis iram in se concitavit jam superbiter & contumaciter ferociens Civitas; Adeò ut læsæ Majestatis Ream evertere decreverit Conradus, & hoc fatis præventô, Fridericus I. Successor: Nisi hostilem fervorem, quo in hanc *Fresiæ Urbem* [sic vocatur Frisingensi Imperatoris Gentili] ferebantur, sedassent Magnorum Ducum mollissimæ preces, quibus exoratus, excidium ægrè condonavit, acceptâ immensi æris summâ. Quâ de re Guntherus in suo Ligurino ad Imperatorem sic;

> Nec melius stultæ furor atque superbia Plebis
> Puniri poterat, quàm tanti ut caussa furoris
> Eriperentur opes: Ut quos opulentia rerum
> Fecerat elatos, in se revocaret egestas.

Post ea, præscriptis ab Imperatore legibus inter Trajectenses & Hollandienses, Urbs denuo cIↄ clxi. desolata fuit repentino incendio, quod

quod reparatu non adeo promtum, Populi facultatibus pridem mulctâ exhaustis; Neque subvenientibus Imperatoribus, uti ab antiquo. Seculo tamen insequente, instaurata deprehenditur, jam ante annum CIↃCCL. *Ædificiis etiam longiùs & latius, quam ante incendium fuerunt, ultra fossatum prolatis*, sunt verba Henrici Episcopi in Diplomate ejus anni, adducente Buchelio in doctissimis ad Hedam notis. Sed & accesserunt Opera Publica antea indicta; Fana nempe B. Catharinæ, cum egenorum Hospitio. Item S. Nicolai sub mœnibus, cum Æde Teutonica. Necnon illud, cui à Viciniis nomen, vernaculè **De Buur-Kerk**. Cæterùm hæc pleraque cum Urbis parte maxima, iterùm conflagrarunt anno CIↃ CCLXXIX. Et vix est, quòd, senescente hoc Seculo discordiis civilibus turbido, instaurari potuerint. Atque hæc potissimùm sunt, quæ de TRAJECTI origine, incremento & Fatis hactenus comperta habemus.

De Urbis denique Magistratu, ex Actis Seculi XIII. tantum conjicere licet; Quod fuerit; *Judex ab Episcopo Legatus*, quandoque *Burgravii*, quandoque *Sculteti* appellatione. Deinde *Scabini*, Assessores juri dicundo à Populo præpositi. Tum etiam Consules, quos Civium Magistros, ex vernaculo **Burgemeester** / Beka vocat. Denique Universitas, vulgo **Meente / Raad / Vroetschap** dicta. Atqui hi omnes ex honestissimo Civium ordine; nisi turbata per infimam Plebem Republica.

Sculteti seorsùm prima mentio est in Diplomate Philippi Suevi Cæsaris anno CIↃ CC.

Burgravii in litteris Henrici Episcopi CIↃ CCL.

Judicis ab Episcopo deputati, in Privilegio Wilhelmi Regis CIↃ CCLII.

Scabinorum seorsum, in Ejusdem Regis alio Diplomate ejusdem diei.

Sculteti & Scabinorum conjunctim in litteris Ottonis Episcopi CIↃ CCXXVIII. [verè XXVI.]

Scabinorum, *Consulum & Universitatis* simul in litteris Episcopi Henrici CIↃ CCL.

Denique unà cunctorum, scilicet *Sculteti*, *Scabinorum*, *Consulum*, *Universitatis*, rursum in litteris dicti Henrici Episcopi CIↃ CCLX. Quamprimum vernaculè Acta conscribi coeptum, reperitur; **Borgemeesters / Schepenen / Raad ende Oudermannen.**

Cuinam tempori vel Auctori, hi Magistratus ortum suum debeant? mihi hactenus incompertum est. Putem tamen ad Saxonum Imperium pertinere. Habent & Cives *Privilegium*, quod Pragmatici; *De non Evocando* vocant, Regi Wilhelmo acceptum CIↃ LII. Et alterum; *Ne Episcopo, extra mœnia militare necessum habeant*; Concessum secundum veterem consuetudinem ab Henrico Præsule CIↃ CC LVI. in Vigilia Walburgis. Recentiora conquirere, quæ Urbem Splendidissimam ornant, præsentis instituti non est.

XXV. TRANSISALANA REGIO.

POstquam Episcopi, dudum verissimi Hierachiæ Proceres, res diversissimas, seorsum naturâ, bonas; confusim arte, pessimas; Pedum & Sceptrum, Doctrinam & Imperium, Sanctam Ecclesiam & Archiam miscere, nefas haut duxerunt; semper aliquid detractum ivêre Imperatoris & Populi juribus; Primò illecebris aut terriculamentis apud superstitiosos validis: Deinde vi & armis, quibus etiam pectora firma flectere noverunt, donec Pedi & Sceptri per eandem Diœcesim foret æqua potestas. Trajectini Antistites suam, inquam, his artibus potestatem nacti, in duas diviserunt Provincias, Citeriorem seu Inferiorem, & Ulteriorem seu Superiorem, *Fossis Drusinis* separatas.

Ulteriori, TRANSISALANÆ nomen factum, quia *Salæ* vetus alveus est, qui *Drusi Fossione* & latior & profundior factus, vernaculè **Den Yssel.** A quo Accolæ haut malè dicti fuerunt Veteribus & in his Bekæ (*) *Transiselani*, *Transiselenses*, *Transiselini*; Nobis non benè *Transisulani* & TRANSISULANIA, licet hodie receptissima sit scriptio. Huic autem, quo minus terminos certos describserint, obfuit immensa Imperii proferendi cupido. Quapropter Partes enumerare placuit, ordine, quo adjectæ sunt, vel situ à Cathedra remotæ, **Ente / Tuente / Drente /** id est, Primam, Secundam, Tertiam: Mox Quartam, Quintam, Sextam adjecturi, si tanta fuisset Populi patientia, quanta Principum indulgentia. *Frisiam*, puta, inter *Flevum* & *Burdipam*, atque hinc in *Lavicam*, immò planè in *Amisiam*.

(*) Passim.

XXVI. TREMELLA.

VIcus *Gertrudisbergæ* subjectus intra III. Lapidem, occasum versus. Otto II. Imperator jam suâ ætate *Drumelen* appellari cœpisse testatur, quo nomine adhuc hodie est.

XXVII. TRENSCOTEN.

SAltus vocatur Paludibus oppositus, in Litteris Permutationis anni CIↃ LXXXV. Hodie **Schoot** dicitur ille Tractus, M. P. V. à *Rheni* dextra ripa *Swadenburgo* adversa.

XXVIII. TRENTA.

TRansisalanæ Diœceseos Pars Tertia, vernaculè **Drente** à **Drie.** Veteribus propiùs à Latinô *Tria*, TRENTA & TRENTONIA fuit

fuit dicta. Mirum, quòd non & *Duentam* propter Latinum *Duo*, ex *Tuenta* facere amarint. Est autem Regio remotior à *Trajecto*, quàm Prima & Secunda, in quam, inde ab Henrici II. Principatû, dicionem usurpare cœpit Episcopus, & post bella multa demum obtinuit stabilem. Pagus Veterum *Frisiorum* quondam fuit omnium amplissimus, Seculo X. adhuc, eo nomine cognitus: *Pagi* nempe apud Ottonem M. Et *Frisiorum* in Charta Werdensi. Constituêre Imperatores hoc in Pago [id est, *Païs* secundum *Franco-Gallos*] uti & alibi; Judicantium Tribunalia plura, ex quibus orti, beneficio Imperatoris vel Episcopi, Comitatus hæreditarii; ceu sunt Everhardi, Baldrici, Temmonis, Gozelonis, Rudolfi, Castellanatus Covordiæ, &c. Unô Comitatûs nomine, omnes simul quoque comprehensi.

Forma triquetra est; Latus Aquiloni obversum claudit *Groningæ* Urbis Dicio. Occiduum *Vollenhovii*, *VII-Silvani*, *Fredowaldii*. Cætera *Australes Paludes*, ab antiquo *Frisios* à *Bructeris* separantes. Solum exile admodum est, partemque longè maximam incultum, quià paludibus fœdum, arenis inhospitum, aut silvis horridum, adeo quondam, ut lustra præbuerit, non ursis modò & apris; sed immanioribus quoque bestiis, Ottoni I. quidem & Henrico II. Imperatoribus, teutonicâ linguâ, *Elo* & *Schelo* dictis, nec ideò magis cuiquam hodie cognitis. Quod ad reliqua, arvis & pratis lætius multo, atque optimi adorei ferax.

XXIX. TRENTÆ FORESTUM.

TEutones *Forst* vocant Silvam venationibus celebrem; unde rustica Latinitas *Forestum* & *Forestam* conflavit. Hujus FORESTI in THRENTE meminêre Otto I. Henricus II. & Conradus II. in Diplomatibus (a); Et quidem Posteriores duo; quòd fuerit in Comitatibus Eberhardi, Baldrici & Temmonis, quos vel hinc cognoscimus extitisse parte Occiduâ TRENTÆ. Quia hoc FORESTUM fuerit continuatum, extra *Trentæ* fines, in *Flevonis* Lacûs proxima æstuaria, & nominatim ad *Fulnahoam*. In quo Imperatores ipsis Comitibus interdixerunt venatione Ferarum Majorum, Cervorum, Ursorum, Aprorum, & in summa, aliorum omnium, quæ Teutonicè *Elo* & *Schelo* appellantur; Hujus rei curâ Trajectensis Ecclesiæ Pastori mandatâ, nomine *Juris Forestensis*.

(a) Ap. Hedam in Baldrico, Anfrido & Adelboldo.

XXX. TRENTOWALDA.

VErnaculè **Drentewolde** diu vocata fuit, Pars hæc australis, Agri *Groningam* ambientis, vel à *Trentæ* viciniâ, vel quòd, antiquis temporibus, verè ejus portio fuit. Quæ, *Trentâ* in varios Comitatus scissâ, res suas sibi seorsum habere cœpit: Et nacta Villicum Groninganum Comitem, Trentonici Juris tandem esse desiit. Idque jam

jam ante Henrici II. tempora; Quia ab eo Ecclesiæ Trajectinæ donatum, quicquid *Thrente* communi nomine tum fuit comprehensum anno CIↃ XXIV. certissimo argumento, quòd hic *Trentæ* seu TRENTOWALDÆ Comitatus, qui anno CIↃ XL. adhuc Henrici III. proprius fuit, à *Trentæ* Pago dudum fuerit separatus. Celebris famæ in primis est hæc Regiuncula apud omnes harum rerum & temporum Scriptores, propter famosam illam Henrici III. donationem, factam Ecclesiæ Trajectensi *de Prædio, in hoc THRENTE Comitatu, unà cum omni ejus districtu.* Quibus verbis TRENTOWALDAM tantùm, non universam *Trentonum* Regionem fuisse intellectam; sic satis constare putem.

Hodie vulgo GORECHT; in Actis, *Judicium Silowerdicum* vocatur, cui, à pluribus seculis, Senatus Groninganus Prætorem dandi jus obtinuit; Qui in ipsa Urbe, uti ab antiquo, suum habet Tribunal, ad quod evocantur XII. *Trentasilvanorum* [sic vocat Emo] communitates, seu Gemeenten / Suburbicariis agris, *Fivelingiæ*, & *Trentæ*, conterminæ.

XXXI. TRES LARES.

RUsticorum vulgus hodie Drie Laren appellare solet. Chartæ Werdensi, quam Seculi XI esse diximus, *Hæ Lares* sunt sexûs sequioris. In Narratione Historica verò, nuper edita ex Membrana Archivi Trajectini, quæ Seculi XII. & XIII. est, *Totum Lare* neutro genere ponitur. Sunt autem Parochiæ duæ, cum Vico intermedio Fani experte; uti jam ostensum Parte I. in Confiniis *Agri Groningani* & *Trentonum*. Duas ponit Werdensis ad ripam fluminis AE, cui proprium nomen, quod reticuit, *HunisAE*; Tertiam ad viam Regiam, seu Caminatam ut loquitur, quæ situ & nomine *Australis* est. Mediæ *Mitzpete* seu *Mitzplete* itidem à situ nomen est in Membrana Trajectina, Hodiè rotundiùs Mid-Laren / ubi tunc *Trentonum* Castrum fuit, ad quod sæpiùs à *Trajectinis* contra *Trentones* pugnatum est; semel anno CIↃ CCXXVII. infeliciter; iterùm CIↃ CCXXXI. prosperè admodum, *Groningensium* & *Hunsegonum* ope potissimùm; Castrô ipsô expugnatô & incensô, unà cum Lare Australi [Zuyt-Laren] quæ *Trentonum* est, ipsis Nundinis vernalibus illo jam tempore, uti adhuc hodie, ibi celebrari solitis. Tertiùm denique anno CIↃ CCXXXII. in vigilia Matthæi, strage Trajectensibus pudendâ.

XXXII.

Digitized by Google

XXXII. TRIMUTHI.

HOdie rapidius DRUITEN vocari existimem. Supersunt enim ejus nominis Vici, ad utramque *Vahalis* ripam, circa quas esse deprehenduntur loca omnia Ecclesiæ *Trajectinæ* à Baldrico Com. donata anno Iↄ CCCL. Utrumque autem designari, plurium numerus vocabulo datus, mihi pæne indubium facit. Qui cis *Vahalem* est in ipsa ripa læva, abest à *Batemburgo* M. P. III. Ulterior, & longiùs à ripa adversa est, & magis ad inferiora vergens.

XXXIII. TROYEN.

't Huys van Troyen vocat Stokius ad annum cIↄ CCC., Arcem *Zelandiæ*, incertum cujus Insulæ, quam adventanti Joannis Hannonii Holl. Com. filio vacuam reliquêre hostes.

XXXIV. TUENTA.

TRansisalanæ Diœceseos Pars Secunda est, ordine ad Primam & Tertiam, vernaculo vocabulo TWENTE dicta quasi Tweede Deel. Iisdem haut dubie artibus Episcopo Trajectino quæsita, quibus passim reliqua; Licet de eo monumenta non exstent. Antiquissimam autem esse *Trajectinorum* possessionem in TUENTA, Litteræ fundationis Cœnobii Benedictini in Holdorst satis manifestè produnt, datæ anno cIↄ VI. Plures principiò habuit Comites, uti & Pagi plerique omnes. Præcipuus fuit de Gore / qui Ecclesiæ *Trajectinæ* Liber Feudalis & Signifer vocatur, in Vetusto Vassorum Catalogo. Cujus supra omnes fuit auctoritas, uti Covordiensis in *Trenta*. Saltem sub Henrico IV. Imper. Godescalco Comiti in omnem *Thuentam*, id est, Gore fuit potestas. Sub Balduino Episcopo etiam Covordienses fratres Rudolfum & Folkardum, genitos sorore Rodolfi Gorensis Comitis, Domini Advocati, Signiferi [hisce enim appellationibus promiscuè utebantur] aliquid Dicionis in TUENTA possedisse, Author est Anonymus Membranæ Trajectinæ Scriptor: Et quidem Majorem ad *Vechtam* & *Recclam*; Minorem in Anze vel Enze.

Trentâ amplitudine longè minor est, ingenio soli ferè par, sed cultû potior. Terminatur à Septentrionibus & Ortu, *Benthemiensi* Comitatû; A Meridie *Zutfaniensi*, & Diœceseos *Monasteriensis* parte; Ab Occidente *Transisalanæ* Parte Primâ, cui *Salanæ* seu *Salandiæ* nomen præcipuum.

Digitized by Google

XXXV. TULE.

THielreverdæ Vicus est in ripa *Vahalis*, *Bomelæ* adversa; THUYL hodie vocant. Quem indicare videntur Otto M. Otto III. Lotharius II. Imperatores in Diplomatibus Abbatiam *Altinensem* spectantibus, anni IƆ CCCCLXX. IƆ CCCCXCVI. & CIƆ CXXXIV. per voces THULY nest Vachelt / TULE, THULO, non tantum propter *Malsmæ* viciniam; sed vel maximè quia nest Vachelt / id est, *proximè Vachal*, quod additum fortè ad distinctionem alterius Thuyl seu Deyl / uti hodie loquuntur, in *Lingiæ* ripa.

V

I. VALCKENBURGH.

HEnrico IV. Imperatori in Diplomate anni CIƆ LXIV, Curtile vocatur seu Quæstoria casa, ad quam proventus omnes ex tractu descripto perferuntur. Hodie Vicus est infimâ Parte *Insulæ Batavorum* ad *Rhenum*, Equorum mercatu nobilis. M. P. III. infra *Lugdunum*. Dynastas quondam habuit hoc Gentilitio nomine, quorum in pluribus Diplomatis mentio. Est quoque in Regione, quam Transmosanam cum Brabantibus vocamus, hujus nominis Arx vetus, Comitatus titulô insignis, hodie VII-Fœderatorum exigua Provincia, cujus mentionem jam ad annum IƆ CCCLXXII. fecit Chronici Magni Belg. Compilator; iterumque ad annum IƆ CCCCLX. Ottonem Frisingensem Episcopum laudans Authorem; sed parum ex asse.

II. VANNAPIN.

ITa scriptum est in Scriveriano Inventario Bonorum Trajectensium; Hedanum habet VENNAPEN. Hodie Insula est inter Lacum *Lugdunensem* & *Harlemensem*, nomen custodiens VENNIP. Meminit idem Inventarium quoque fluminis *Vennepæ*, Stagnum vel laculum intelligens.

III.

Digitized by Google

III. UBERAN.

LOcus inter *Rhenum* Bicornem & *Mosam*, uti & reliqua, ejusdem Donationis Tabulis in Ecclesiam *Trajectinam* à Viro Nobili Baldrico collata, anno IↃCCCL. Hodiè UBBERGEN vocari putem, uno milliari à *Noviomago* ad ortum hibernum.

IV. UBKIRIKA.

ECclesia est, constructa supra Dorestad / Cujus donum fecit Albrico Episcopo Rex Carolus, Magnus postea dictus, regni sui anno nono.

V. VECHTA CITERIOR.

FECHT flumen vocat Otto M. Imper. in Diplomate anni IↃCCCCLIII. quod totum, *cum omnibus utrinque terris, Silvis, Aquis, Stagnis, Lacubus, piscationibus*, &c. suppofuit potestati Episcoporum *Trajectensium*. Et in his *Lonam* Vicum Prætorium nobilissimum, ejus in ripa. Henricus Episcopus Trajectinus VECHTAM *Aquam* appellat; Cui tutandæ Castrum Drędelant excitavit; in Litteris anni cIↃ CCLX. Oritur haut longè supra *Trajectum*, acceditque capite suo tam propè ad *Rhenum*, ut solius Urbis intercedat spatium, quod tandem perfossum Conradi II. Principatû; ut *Rheni* aquæ, quia non amplius sufficientes Onerariis in *Oceanum* euntibus, Urbi saltem adderent nitorem, atque VECHTAM efficerent auctiorem, devehendis & subvehendis mercibus ad *Lacum Flevonem*, quem intrat, ad Opidum, cui, à suo Ostio, nomen *Muda*, M. P. VI. ab *Amstelædamo* ad Meridiem.

VI. VECHTA ULTERIOR.

ITa vocandus meritò fluvius, qui in *Ulteriore Diœcesi* est; ut distinguatur à Cognomine, quem modo esse vidimus in *Citeriore*. Ulterior ergò VECHTA peragrata omni Regione quæ Veterum *Bructerorum*, saltem Minorum, fuit, *Fossa Drusiana* denique receptus, eâdem, per Lacus & Terram in *Oceanum* defertur. Quàm temerè Wilhelmo Friderici nostro, &, post illum, Justo Lipsio, etiam à Summis Viris, creditum fuerit; *Vidrum Ptolemæi, hunc ipsum VECHTAM esse*, Parte I. satis superque ostensum existimem.

Si non apud plures horum temporum Scriptores, saltem apud Anonymum Membranæ Trajectinæ Authorem ejus frequens est mentio.

VII. VELGASSA.

FELGSHUYS hodie vocatur locus in dextra *Vahalis* ripa paullo supra *Tielam*, qui Donatione Viri Nobilis Baldrici collatus est Ecclesiæ Trajectinæ anno IↃ CCCL.

VIII. VELSEREBURG.

ECclesia Mater vocatur in Transactione inter Trajectinum & Epternacensem anni CIↃ LXIII. In Inventario Bonorum Trajectensium VELESA. In Diplomate Theodorici V. CIↃ LXXXIII. VELZEN. Hodie **Velsen** / M. P. IV. ad orientem *Harlemi*. Arx quondam *Velseniorum*. Quod nomen apud Posteros execrabile est, Gerhardi in Florentium Principem parricidio.

IX. VENEBRUGGE.

DE Pontium Longorum genere est, quos, inter Paludes, sternere solebant *Romani*. Per hunc itur ab *Otmersem* ad *Hardenbergam*, à quâ II. tantùm passuum millibus abest, atque ad illum tramitem, qui tàm ad *Rhenum* solidum, quàm ad *Fossam Drusianam ducit*. Hujus meminit Membrana Trajectina. Superatque eodem loco idem nomen.

X. VERDA.

CUrtis est sive Quæstoria Villa cum Horreis, in *Batua* juxta **Nwich** / à Comitissa Adelheyt donata S. Martino, anno CIↃ CLXXXVIII. Hodie **De Deestse Weerd**.

XI. VERNOUTSEE.

INsula *Vernoudi* rectè vertitur. *EE* enim Stokio Insula est. Nobilitavit hanc potissimùm atrox prælium, pro obtinenda Florentii V. tutela, commissum circa Annum CIↃ CCLX. Et Joannis II. Hollandiæ Comitis, navalis victoria, parta anno CIↃ CCC. VERNOUT jam ab antiquo contractum reperitur in VORN, cujus nominis Gens Illustris exstitit, cum Prætoria Potestate in omnem *Zelandiam*; **Heere van Voren** / **Burchgrave van Zeland** / ipse Stokius appellat in Florentio Wilhelmi Imperatoris filio: Manente hodie eâdem pronunciatione **'t Land te Voorn** / id est, *Insula Vornensis*, locô *Vernoutensis*, cujus *Briela* caput est.

XII.

XII. VIANEN.

CAstrum fuit quondam Gentis de Businchem, in læva *Leckiæ* ripa M. P. V. à *Trajecto*; circa quod Nundinas duas octodiales, annis singulis instituendas, beneficio Episcopi Trajectini, obtinuit Suederus Beusichemius anno CIƆ CCLXXII. Hodie accessit Opidum, cum dignitatibus aliis.

XIII. UKELE.

ECclesia vocatur in Donationis Tabulis anni IƆ CCCCXCVII. infra *Teisterbantiæ* Comitatum. Cæterùm cum Vocula *infra*, illo seculo, idem quod *intra* significarit, ipsius Comitatûs particulam fuisse credendum est.

XIV. UKEN.

T*Uenta* locus alicujus dignationis fuisse videtur, quia inter Municipia; Hardenberg / Ommen / &c. numeratur in Membrana Trajectina. Putem ULSEN esse legendum & restituendum, qui Vicus Primarius in Benthem M. P. XI. ab Hardenberg / totidem à *Covordia*. Est quidem UKEN in *Felua* ex adverso *Zutfaniæ*, cui nihil cum altero commune.

XV. VLISSINGHEN.

W*Alachriæ* Urbs, ordine IV. inter *Zelandicas*, Marchionatûs titulo dudum insignis, ad Ostium *Fossæ Ottonianæ*. Nomen sibi esse à Vlesse / id est, angusti oris poculo, ipsis suis insigniis, Vlissingani indicant; quia *amplexû lagenæ singulariter afficiantur & Viri & Fœminæ*. Sunt verba L. Lemnii, qui ipse Zelandus sociâ Urbe ortus. Concedamus sanè volentibus hanc originationem: Licet mihi equidem nimis fluxa dilutaque videatur. Ecquis *Embricæ* Opido ad *Rhenum* paullo supra divortium à situlâ, seu Emmer / quam infiniis præfert, vocis originem accerserit? Quam liquidò debet Embrico veteri Possessori: *Villa Embrici* antiquissimè dicta. Ecquis Urbium maximæ Gent / quod merè Germanicum vocabulum est, à signo Chirothecæ *Francis* Gand? Leviculas has puto allusiones, rudi seculo vel ingenio natas, adeoque haut rarò ineptas & ridiculas.

Malim igitur à Flussen / quod Germanis fluenta notat, derivare hoc nomen FLISSINGEN.

Urbs quidem inter *Zelandicas* infimæ penè antiquitatis est, nec ante Seculum XIII. cognita; Sed nominis famâ, quam fortibus factis

& longinquis navigationibus longissimè protulit, nulli cedens. *Zelandicarum* extremam vocat Stokius ad annum cIↄ ccxcvii.

> - - - op 't uterste van Zeelant
> Tote Vlissinghen.

Abest à *Middelburgo* Metropoli M. P. II. in ortum.

XVI. UMME.

CAstrum haut dubiè fuit anno cIↄ ccxxvii. Quia Episcopus Otto II. in eo Milites *Sallandiæ* posuisse dicatur Anonymo Membranæ Trajectinæ Scriptori. Servat Nomen ad *Vechtam* fl. M. P. II. suprà ejusdem cum *Reccla* Confluentes.

XVII. VOERST.

DUo *Sallandiæ* inferioris Castra vicina fuerunt, Ottoni II. Episcopo Traj. invisa, ideoque impugnata, capta & funditus deleta, anno cIↄ ccxxii. Narrantibus Membranâ Trajectinâ, Beka (a), aliis. Superest tamen, inter *Islam* & *Zwollarum* Fossam Majorem, Utriusque nomen, quod hodie scribimus per duplex *OO*. cujus sonum per *OE*. designarunt Antiqui perpetuò.

(a) In Ottone II.

XVIII. VOREHOLT.

ECclesia cum Cappellis vocatur in Diplomate Henrici IV. Imperatoris cIↄ LXIV. Huic hodie nulla nominis mutatio, nisi à dialecto: VOORHOUT enim Vicus est M. P. III. à dextra *Rheni* ripa, à Littore Oceani totidem. In Diplomate Theodorici V. cIↄ LXXXIII. reperitur FORENHOLTE.

XIX. VORTHUSEN.

OTto M. Imp. in Diplomate Dotationis *Eltensis* anni Iↄ CCCCLXX. recenset & VORTHUSEN. Pro quo in Diplomate Ottonis III. Iↄ ccccxcvi. vitio legitur Honthusen. Et in Lotharii II. cIↄ cxxxiv. Wetthusen. Clariùs in Membrana Trajectina Scriptoris æqualis de morte Ottonis Episcopi, ita; *Otto I. Traj. Episcopus, gravi febre, apud VORTHUSEN prope Albinis, correptus, debitum universæ carnis inplevit, anno Domini* cIↄ ccxv. Unde manifestum, mendosè apud Bekam (b) &, ex illo, apud Hedam, legi Nozthusen.

Extat hodie Vicus in Pago *Felua*, nomine VOORTHUYSEN, vadoso suo tramite, à quo nomen, in primis notabilis. Quà iste potuit Episcopus Romano itineri accinctus, *Altinas Trajecto* petens; licet

(b) In Ottone I.

cet non tam propè ab *Altinis* fit, quàm Otto M. & Membranæ Scriptor indicare videntur, utpotè hinc distans M. P. L. *Trajectô* XXXIV.

XX. UPHELTE.

MUlta per *Trentam* loca sunt, quibus ab HELTE seu Halt / Holt / id est, Silva nomen. Hoc ipsum, licet AD SILVAM commodè vertatur: magis tamen est, ut ab Ulfone veteri Possessore dictum sit, quasi Ulfhelte, id est, *Ulfonis Silva.* Hodie Uffelte. M. P. VI. à *Stenovico* in ortum superest illa Ulfonis Silva, quondam Pars *Trentæ Foresti*, donata Bernolpho Episcopo, ab Henrico III. Imperatore. In Membrana Trajectina legitur *Huffalte.*

XXI. UPSTELLESBOME.

VEtustissimus mos fuit, teste Emone Werumensi Antistite, ut ex omni *Frisia* & VII. illius Partibus, quas *VII-Zelandias* vulgus, ille *VII-Villas mari conterminas* vocat, Majores Populi, qui patriâ linguâ *Gretmanni Zelandici*, certum in locum unà convenirent, de gravissimis Reip. negotiis, maximè de pace publica sarta tecta servanda, consilia sociaturi, daturique extra ordinem *Judices Juratos*, qui eò delatas altioris indaginis lites, post plenissimam caussæ cognitionem, auctoritate omnium sociorum, domi componerent aut dirimerent. *Placitum solempne*, tum Emo, tum omnes Rerum Francicarum Scriptores dixêre hujusmodi Concilium. A formula solenni, haut dubie, ipsis Decretis subjici solitâ; ITA PLACITUM EST, *Franco-Gallis* etiam hodie notissimâ; *Car tel est nôtre Plaisir.*

Quamdiu, nulla Partium à Societate divulsâ, status Conventûs locus fuit, ex communi consensu, in ipso totius *Frisiæ* optimæ maximæ meditullio, uti par erat, patenti in campo, unis passuum millibus ab Arce *Auricana* ad occasum hibernum. Huic nomen inventum, ab annosis & excelsis quercubus numerô paucis, [tres omninò fuisse fama est] UPSTELLESBOME, vocabulo ex tribus composito UP, STEL & BOME, Latinè AD STATUTAS ARBORES.

Postquam Societas *Frisiorum* intra *Flevum* & *Jadam* arctari cœpit, adeoque UPSTELLESBOME pæne in extremo limite, *Groningæ* iterùm in meditullio, convenire inolevit; primùm ex usu & commoditate, anno CIↃ CCXXXII. de quo Emo, nec sine intermissione: Deinde perpetuò, ex Publico Sociorum Decreto; Secundùm quod etiam hodie ibi peraguntur Comitia ab his, qui inter *Amisiam* & *Lavicam* soli à Fœdere nunquam fuerunt avulsi, & adhuc antiquum obtinent.

XXII.

XXII. UPWIRTHE.

PLebani, id est, infimi Ordinis, Ecclesia est in *Fivelingiis*, secundum Emonem ad annum cIↃ CCXXVIII. Hodie **Optwierde** vocatur, Vicus non longe à *Fivela* seu *Rivi Dammensis* ripa dextra, M. P. circiter ab *Appingadamo*.

XXIII. URCH.

PArva hodie Insula *Lacûs Flevonis*, quam Otto M. Imper. in Diplomate anni IↃ CCCCLXVIII. quidem jungit *Nardinclandiæ* & *Hamelandiæ* Comitatibus; sed ideò unum cum utroque Continentem fuisse, quod quidam arguunt, reclamat Lacûs immensitas *Romanis* celebrata. De altera autem *Amelandia*, cujus nomen superesse putatur in **Emeloort**/ id verisimile esse Parte I. jam dictum est. Repetunt URKÆ mentionem Ottò III. IↃ CCCCXCVI. & Lotharius II. cIↃ CXXXIV.

XXIV. VREDELANT.

CAstrum est ad ripam *Vechtæ* Citerioris dextram, in *Goyensi* Comitatu, extructum ab Henrico Trajectino Episcopo, de quo ipsius extat testimonium anni cIↃ CCLX. Id factum adversus incursiones Dynastæ de Amstelle traditur Bekæ ([a]). Meminit etiam ejus Rithmographus ([b]). Superest hodie M. P. IX. infra *Trajectum*. VII. supra *Mudam*. Opidi loco quondam habitum, Buchelius, Veteris Sigilli exhibitâ formâ, indicat.

([a]) In Henrico.
([b]) In Flor. V.

XXV. VRISENCOP.

TErritorium exiguum est, Portio tractûs palustris ad orientem *Harlemensis* Lacûs, cui **Oere** quondam nomen; secundum Diploma Florentii, anni cIↃ CCLXXV. Hodie vulgò FRIESSENKOOP.

XXVI. VRONLEGEIST.

HOc nomen præferre antiquum Sigillum, à Nicolao Vorstio, fato quopiam recuperatum, anno cIↃ IↃ LXXX. testatur ex ipsius litteris Hadrianus Junius; Idque genuinum fuisse Matri Urbium *Westfrisiæ*, palam fit ex Stokii ([c]).

([c]) Florent. V. & Joanne I.

Vronen op die Geest.

In

In Inventario pervetusto Bonorum Trajectinæ Ecclesiæ vocatur VRANLO. In Tabulis Transactionis inter Trajectinum & Epternacensem cIↃ LXIII. VRONLO. In Diplomate Theodorici V. Holl. Com. anni cIↃ LXXXIII. FRANLO. Beka in Wilhelmo Episc. Traj. ad annum cIↃ CCXCVII. *Villam* FRONE*nsem*, id est, *Urbem*, stilo seculi, appellat; Et verè: Stokius ([d]) enim mortuo Leoni insultare videtur, Vici contemtius vocabulum illi addendo; ([d]) In Joanne I.

Dat Dorp te Vronen.

Etymon, ultro sese offerens, non anxiè inquirendum est aut longè accersendum. A vero non abludit antiquissimum Urbi nomen fuisse LOGEEST, id est, *Editum inter arva*. Accessisse autem posteà à dedicatione quadam Christo Deo Dominicoque factâ appellationem *Fran*, *Fron* vel *Vron*, [id est, DOMINI, uti supra dictum in *Franekera* & *Fronekera*] atque sic integrè VRONLOGEIST vel FRANLOGEEST, & mutilatè FRANLO vel VRONLE, id est, Hodierno Idiomate, **'s Heeren Hoge Bow-Ackers**. Idque contractum, ut ferè solet, in VRONE; unde VERONAM fecerunt latinissimè loqui amantes.

Situs ejus fuit, edito in loco, inter Arva amplissima, à quibus toti territorio hodie nomen, **Geestmer-Ambacht**. Inter *Kinnemum* & Urbem, proclivius solum, veterem Portum indicat, Stationem tutissimam navium, quibus ab Ostio *Pethemensi* subvectæ merces transmarinæ M. P. IX. non longiùs.

Potentiæ & firmitudinis, licet Testes æquales non habeat, certissimum argumentum est; quòd, tot seculorum bellis in *Frisios* renovatis, inconcussa steterit; nec Populares, se devictos putarint, quantumvis fracti, salvâ Metropoli, Libertatis Arce: Immò ne ipsi quidem *Hollandiæ* Principes illorum Victores. Fatum acceleravit illatum *Hollandiæ* bellum; Cùm, sublatô à Parricidis Principe, turbata Resp. quàm maximè fluctuabat, Successore etiam trans Mare agente. Hoc enim properè ex *Britannia* reversô, statim, sub ipsis suis mœnibus, de summâ rerum decernere coacta fuit, ac internecivo prælio victa, tandem patuit Victori, qui Joannes Frisici generis Comitum ultimus, biennio ante quàm Familiam clauderet. Atque sic de *Westfrisiis* triumphatum deniquè, cum excidio florentissimæ Urbis, inductô aratrô, instaurari vetitæ: Hodie vix busti reliquiis exstantibus, Tertio ab *Alcmaria* lapide ad ortum. Temporis, quo hæc gesta, certiores Testes nulli sunt, quàm Stokius & Beka uterque Hollandus vel Frisius, quorum Prior oculatus Senex nascenti alteri quasi lampada tradidit. Notant illi Annum Æræ Christianæ cIↃ CCXCVII. additque Posterior ([e]) diem VI. Kalendas Apriles. ([e]) In Wilhelmo II.

Quæ præter hæc narrantur, de VERONA FRISIÆ MATRE, inter incertæ famæ murmura reponenda duco.

XXVII. USQUERT.

VIcus amplissimus est, Præpositurâ, quam vocant, olim insignis, haut procul à maris littore, *Fivelingiis* accensitus adhuc anno CIↃ CCXXXI. uti ex Emone satis constat. Eapropter tunc temporis ab *Hunsingiis* hostibus igne consumptus, sacra & profana eodem loco habentibus. Num ab hoc tempore *Hunsingiorum* factus fuerit? non admodum liquet; sanè dudum est quòd illis accesserit. Abest *Groninga*, rectâ in Septentriones, M. P. XII. Oratorium jam illo in loco fuisse, Ludgeri ætate, testatur Alfridus in ejus Vita, quod ore rotundo vocat *Uyscwyrde*. Obiit autem Ludgerus IↃ CCCIX.

XXVIII. UTHUSENSES.

SIc vocant Abbates Werumenses, Incolas Vici Uythuysen/ qui hodie *Hunsingiorum* est ex amplissimis; quondam *Fivelingiorum*, qui pro eo annis XXII. bellum traxerunt cum *Hunsingiis*, ferè infeliciter. Cujus historiam Emo & Menco pluribus enarrarunt. Disjunctus est ab Urbe *Groninga* in aquilonem M. P. XIII.

W

I. WAAL.

SUpra *Dordrechtum* hic locus fuit; Secundum Henrici IV. Imperatoris Diploma anni cIↃ LXIV. Dudum Sinu haustus.

II. WADAKE.

PRiori Parte ostensum est, quæ *Romanorum* VADÆ vera nomenclationis origo sit; Wade scilicet, vel Wede/ vulgò Wap & Wep. Atque hactenus nihil erratum esse; Hæc Villa WADAKE, quæ hodie De Wap vocatur, omnium luculentissimum præbet testimonium. Neque intercedo, si quis hanc VADULAM seu WADAKE, mihi nondum observatam cùm priora scriberem, pro ipsa Taciti VADA accipiat: Situm enim habet ad *Rheni* medii sinistram, intra *Batavorum Insulam* M. P. IV. infra *Arenacum*, & III. supra illum locum, cui ob præstantissimas *Vadas*, id est, Pascua, & reperta *Romanorum* monumenta, VADÆ Romanæ posituram assignavi.

Tabulæ Donationis factæ IↃ CCCL. Ludgero Episcopo Trajectensi à Viro Nobili Baldrico, WADAKE *Villam* vocant, id est, Vicum Prætorium: Sed hodierna conditio vix *Altaris* axiomati, illis temporibus, par fuisset.

III. WAGENWEGA.

ANno Christi IↃ CCCXXXVIII. à Rotgario Com. WAGENWEGÆ donatio facta est Alfrico Episcopo, quasi loci *Lonæ* Villæ subjecti in Pago *Felua*. Extat hodie paulo supra *Nodam*, seu *Grebbe*, ad *Rhenum* Opiduli formâ; Quam anno cIↃ CCXXXI. jam induisse saltem refert Pontanus (a), idem asserere non ausus. Vulgò WAGENINGE, cui nihil commune cum Taciti *Vada*; uti Parte I. ostensum. In Diplomate Machthildis Aug. *Wacheningen* scriptum exstat. (a) Hist. Gelri Lib. VI.

IV. WALCHAUM. WALACHRIA.

ZElandiarum *Frisicarum* ad Occidentem ultimæ, eô nomine quondam vernaculè *Wasda* dictæ, Insula extrema; sed nobilissima & copiosissima. Antiquitus pertinuisse ad veterem *Scaldim* & Portum

Zuin, certo indicio est, Ottonis M. perfossio intermedia, jam ingens æstuarium. Cæterùm, veluti *Oceani*, ita & Terræ heic quædam reciprocatio est, modo incrementi, modò detrimenti non modicum capiens. Epternacensis Abbas [a] narrat Willibrordum in Insula WALACHRA confregisse Idolum, quod Mercurii vocat Stokius [b]. Sigebertus Geminiacensis Monachus hanc Insulam WALCHAUM dixit, cui tributa imperarunt *Normanni* anno Iↄ CCCXXXVIII. Anonymus [c] *Walacram*. Annales Fuld. WALCHRAM, sed annô unô, citiùs invasam, Comite Eggihardo etiam cæsô. Otto II. Imper. in Diplomate [d] anni Iↄ CCCCLXXIV. plenè scripsit WALACHRIAM. Theodoricus VII. Holl. Com. in Diplomate anni CIↄ CXCIX. itidem, sed sublatô H. Nominis originem à *Walis*, id est, *Gallis* cultoribus traxisse vix crediderim, Cum de horum adventu nil quicquam constet. *Frisii* saltem fuerunt, qui à *Francis* reperti sunt habitatores: Igitur veritati magis consentaneum WALKRES seu WALKERS fuisse appellatos; quia *Vallis* contra *Oceanum* se muniant quotidiè. Willelmus Gemmeticensis, Willelmi I. Angl. R. æqualis, planè *Walgros* illos appellat, & Regionem plurium numero WALGRAS *Hist. Norm. Lib. II. c.* 8. Antiquissimis Rerum nostrarum Chronographis Stokio & Bekæ frequentissima mentio WALACHRIÆ, ceu Insulæ *Diœceseos Trajectinæ*, idque occasionibus variis, quas conquitere hujus instituti non est.

(a) In Vita Wilbrord.
(b) In Proœm.
(c) Ap. Du Chesne inter Norm. R. Script.
(d) Ap. Mejerum.

V. WALDA seu SILVA.

EX Charta Werdensi haut obscurè colligitur; Per illos de WALDA seu SILVA potissimùm intelligendos esse Habitatores duorum Vicorum Nort-WOLDE & ZUT-WOLDE, qui sunt in *Hunsingiis* ab Urbe *Groninga* proximi. Fortè & *Silvas* reliquas, quas Emo vocat *Occidentales*.

VI. WALDRICHEM.

FRisiæ Opidum est ad Veteris *Flevi* ripam dextram, Nautis & Transmarinis Negotiatoribus, ob novi Sinûs viciniam, potissimùm habitatum. Antiquitatis indicium facit, alterum ejusdem nominis cum distinctione à plaga, quod jam à Seculo XIII. sub fluctibus, veteri vocabulo, in Brevibus, non ignoratur. Vocis eadem origo est, quæ *Walrichesheme* ad *Merwedam*, eademque hodie contractio, ex *Woudrichem* in *Workum* vel **Warkum**. Mœnibus nec cinctum est, nec cinctu aptum; quia latitudinis exiguæ, longitudinis immodicæ. Inter Opida Cisslavicana loco IX. censetur.

VII. WALRICHESHEM.

REctè vertitur *Sedes Waldrichi*, quod apud *Germanos* notissimum nomen Viri est, cui plurimus in Nemore census. Atque ita appel-

Digitized by Google

appellatur locus, circa *Merwedam*, in Inventario Bonorum Trajectensium vetustissimo Seculi IX. vel remotioris. Posteriores, pro WALDRIC, WOUDRIC pronunciantes, consentaneè, ex WALRICHESHEM, fecerunt WOUDRICHEM, quod hodie contractum in WORKUM. Caput est Dicionis, cui itidem à Silvestri Tractu nomen *Houtena* seu *Haltena*, & citra aspirationem *Altena*, commune cum Arce collapsa ex *Teisterbantiæ* laciniis, quam *Cliviæ* Comites beneficio Episcopi *Trajectini* quondam tenuerunt; de quo dictum Inventarium. Et ab his Hornani Comites, posteà *Hollandiæ* Clientes. Modicum hodie Municipium est non longè infra *Heusdam*; uti & Stokius ([a]) indicat, &, quæ sitûs optima nota, è regione *Gorichemi*, & *Loeveſtenii*. ([a] In Joanne II.)

VIII. WALTHERSHEM.

VIcus *Fivelingiorum* est in *Silva Australi*; hodie tenuis, quondam tantæ potentiæ, ut sumtuum mediam partem, in superbi Fani Werumæi constructionem subministrasse Menconi celebretur. Retinet nomen WOLTHERSUM. M. P. VIII. ab Urbe *Groningâ* ad *Fivelæ* dextram.

IX. WANDINGE.

HUjus loci decimas omnes concessit Aleidis Tutrix Florentii V. anno cIↃ. CCLX. *Rhenoburgensi* Cœnobio. Situs describitur inter Leyden & *Dodinslane*.

X. WANLECO.

SIlva hoc in loco esse dicitur, quam *Forest* vulgò nuncupant, non longè à *Smithuzen*; uti est in Permutationis Tabulis anni cIↃ LXXXV. sæpiùs adductis.

XI. WARMUNDE.

NUmeratur in Ecclesiis ad orientem *Rheni*, de quibus composita controversia inter Præsules Trajectensem & Epternacensem, per Transactionem anni cIↃ LXIII. Fuit & Arx eò loci, quæ vocatur WORMOND Theodorico VII. in Diplomate anni cIↃ CCII. Ita rescribendum pro cIↃ CCXII. ([b]) Theodoricus enim jam anno cIↃ CCIII. diem suum obiit. Hodiè WARMONT vix M. P. III. à *Lugduno*. ([b] Ap. Buxhorn.)

XII. WASAFELDE.

VARSSEFELDE hodie dici putarem. Vicus est in Comitatu *Zutfaniæ*, quem S. Fridericus Episcopus à Gerowaldo quodam, dono accepit anno IↃ CCCXXVIII. Superest nomen M. P. IV. à *Burgo*.

XIII. WASALANT.

IN tribus Comitatibus *Texelensis Pagi*, numeratur **Masalant**; uti quidem typis exscriptum est Diploma Ottonis III. Imp. IↃ CCCCLXXXV. turpi non dubium vitiô. Quis enim *Masalandiam Texlæ* contiguam credat? Suspicer itaque scriptum fuisse in authentico WASALANT, id est, WESTLANT, non interposito FRIES, quia absque hoc satis cognita, ubi de *Frisia* ultra *Kinnemum* agitur. Eâdem loquendi formâ, qua Menco Werumensis ad annum CIↃ CCLVI. *Frisios cis Flevum* simpliciter **Westlinge** dixit. Ita, ut, hac Donatione, jus etiam quæsitum fuerit Theodorico II. in WEST-Fries-LAND, quæ est inter *Lacum immensum* & Minores, ab *Tha* in *Salam*. Neque enim extat alia Donatio, cujus obtentû, id juris usurpare cœperunt Hollandi Comites.

XIV. WASDA.

WASDÆ Donationem, factam anno Christi IↃ CCCCLXVIII. esse Lotharii Francorum Regis; minimè Ludovici Germanici, seculo priùs, secundùm Stokium [a] & sequaces, in *Hollandia* satis demonstratum putem. Diploma præfert; *Datum perintegrè Theodorico* [II.] *Comiti, Forestum WASDA, in eodem Comitatu, cum pratis, aquis, terrisque aratoriis, exitibus & regressibus*, &c. Quibus verbis mihi equidem non ita obscurè indicari videtur; Regem Comiti donasse, jure optimô maximo, Terram WASDAM, id est, totius *Frisiæ* maximè occiduam, quæ Silvam insignem, prata, flumina, arva, euripos, uno eodemque Comitatu complectitur: Verbô, illam *Taxandrorum* pænè non Terram quondam, quam *Mosa*, hinc *Vahalim*, inde *Scaldim* recipiens, unà cum *Oceano* ambit & interluit: Vel, ut secundum nostra tempora loquar, Quicquid inter immensum *Mosæ Os* & *Slusam Flandriæ* est, ingenti fluento à tergo prætextum. Quæ tertia illa *Frisiæ Citerioris* pars Carolo Calvo ex Lotharii L. F. hæreditate addita, narrante Aimoïno [b], vel quisquis ille fuerit ex Aimoïni Continuatoribus.

(a) In Dider. I.

(b) Hist. Franc. Lib. V. c. 25.

Flandri, quantumvis longè diversam procuderint interpretationem, etiam armis suffultam, nihil tamen aut perparum valuerunt, vi vel arte, contra tam liquidam veritatem, quo minus *Hollandis* jure

perpetuo

perpetuo juncta fuerit hæc Regio: Nisi quòd *Ottoniana Fossa* pridem ducta, jamque dudùm in Æstuarium peramplum conversa, *Scaldim* ad se pertraxerit, ejusque alveum veterem, WASDÆ ab occidente terminum, *Flandris* reliquerit desiccandum atque in agros excolendum. Comitum, qui ante Theodoricum præfuêre, nemo innotuit, præter unicum Eggihardum, cui *Normanni* vitam & Principatum abstulêre anno Christi IↃ CCCXXXVIII.

XV. WASSENARE.

Villa Prætoria est *Caninefatum* quondam Regione. M. P. III. à *Rheni* Ostio. II. à proximo Littore. Suis Dynastis Gentilitium fecit nomen; uti pleræque omnes per *Hollandiam*. Quorum etiam fuit Lugdunensis Burchgraviatus, Aquarumque Præfectura; quæ & nominis origo esse putatur. Gens præantiqua fuit, meritis in Patriam inclyta; Regiâ tamen *Batavorum* stirpe à Claudio Civile ortam ut credamus nihil omninò nos sollicitat: immò diversum suadet WASSENARIORUM genus *Caninefas* non *Batavum*. Distinctum & olim & hodie in plures diversæ agnominationis familias: Quarum quæ ortu prima, WASSENARIA præcipuè dicta, perduravit cum summa omnium existimatione ad Pr. Non. Decembris CIↃ IↃ XXIII. quo Joannes Heros fortissimus *Leonardiæ*, vitæ & familiæ finem fecit; Gentis prærogativis in Agnatos, ejusdem splendidæ originis, bonis aliis alias in Gentes, per filiarum connubia, translatis (ᵃ) Loci simul & *Dynastæ* meminit Stokius ad annum CIↃ CCIII.

(a) Pont. Heut. Rer. Burg. lib. VI. Austr. VIII. Ub. Emm. Rer. Fris. Lib. LII.

XVI. WATERLANDIA.

Frisiabonum pars est ad *Thæ* orientem, novô vocabulô Veteris planè significatu. Distincta à *Westfrisia* strictè dicta in Catalogo Vassorum Trajectensium; ubi sic; *WATERLANDIA & Westfrisia pertinent totaliter ad Episcopum & Ecclesiam Trajectensem.* Et apud Stòkium (ᵇ).

(b) In Flor. V.

> Die Kenemaren / die Vriesen mede
> Ende Waterlanders voeren ter stede.

Apud Bekam (ᶜ) denique *Kinnemaria*, *WATERLANDIA & Frisia.* Item (ᵈ) *Kanemarii & WATERLANDI animosè Fresingensem sunt aggressi populum.* Finitur autem *Bamestra* quondam Lacu, nunc Terra felicissimi soli. Latiore verò significatu *Westfrisiæ*, ejusdem portio occidua est.

(c) In Joan. II.
(d) Wilhelmo II.

Digitized by Google

XVII. WATICA.

Curtis, id est, Tenthoff / vocatur, quam Adelheyt Comitissa donavit S. Martino, anno cIↃ CLXXXVIII. propè *Tielam Bathuæ* Opidum. Hodie Wadenoyen.

XVIII. WEGGESTAPELEN.

Locus est in dextra *Isalæ* ripa infra *Hunepam* ad I. Lapidem à *Daventria*, Henrico III. Imperatori in Diplomate anni cIↃ XLVI. memoratus hoc planè situ. Contractâ voce hodie Weggel dicitur.

XIX. WENDELDYK.

Rheni inferioris alveo, jam ad illam angustiam redacto; ut subitô devehendis pluvialibus aquis, quæ rivis vix numeralibus utrinque confluebant, planè impar esset; neque illum obstruere liceret, per Friderici I. Imper. Edictum, infra *Swadenburgium* degentibus: Transactum est, inter Episcopum *Trajectensem* & *Hollandiæ* Comites, Wilhelmum I. cIↃ CCIV. iterumque Florentium IV. anno cIↃ CCXXV. de ponendis VII. Emissariis, [Slusas etiam tunc vocarunt] ne aqua abundantiùs decurreret quam pro oris & faucium angustia indies difficiliore: Atque sic ab inferioribus agris; certa aliàs, eluvies arceretur, nec superiores eâdem premerentur obicis solidi injectione. Destinatus operi locus fuit, haut dubie in confinio utriusque Dicionis, tunc nomine WENDELDYK notus, nunc ignoratus.

XX. VVERCONDEN.

Ponitur inter Ameronggen & Zeyst / in Litteris Godeboldi Episcopi cIↃ CXVIII. Vix dubium quin indicetur WERKHOVEN, qui Vicus est in læva *Rheni* Veteris ripa, medius inter *Dorestadium* & *Trajectum*. Dynastia fuit familiæ cognominis.

XXI. VVERDUPA.

Vicus est sub *Houdnæ* Prætorio, *Huitingoënsis Pagi*, qui dono Rotgarii Comitis anno IↃ CCCXXXVIII. accessit Ecclesiæ *Trajectinæ*. Locus, cui in proximo affine nomen, hodie nullus est, præter Oost-*WERD*. M. P. II. supra *Houdnam* seu Ouden-*A* in eadem *Vechtæ* ripa.

XXII. WERFHEM.

HUnsingiorum nobilis Vicus, in quo Melitenses Equites suum postea Procuratorem habuere. Alfridus Mimigernefordensis in Vita Ludgeri (*) Villam vocavit, sic appellare solitus Vicos Prætorios & Parochiales. Abest Groningâ M. P. XI. necdum duobus à littore *Oceani*. Hodie WARFUM. (*) Lib. II. c. 1.

XXIII. WERFHUSEN.

ET hic *Hunsingiorum* Vicus est, atque speciatim *Marnamannorum* seu *Marnensium*, M. P. X. ab Urbe in occasum æstivum. Mentio ejus est apud Menconis Continuatorem ad annum CIↃCCLXXX.

XXIV. WERKENEMUNDE.

HEnricus IV. Imper. in Diplomate anni CIↃLXIV. ponit hunc locum ad Orientem *Durdrechti* in ripa læva *Merwedæ*; ubi hodie WERKENDAM, juxta quem Godekini Prætorium rusticum, seu **Godekines-Hofstat** fuisse additur.

XXV. WERUM.

VIcus est, cui *Fivela* amnis ad Occidentem, teste Mencone. In quo Emo, anno CIↃCCX Patronatum obtinuit, atque intra triennium *Flandri Horti* Cœnobium condidit, ad exemplum ejus, quod *Præmonstrati* in *Galliis* est. Cujus ipse Præsul Primus, Abbatem vocant, factus est CIↃCCXV. interim prolata potestate in plurimas circum Ecclesias, ipsam quinetiam *Emethensem*. Addito mox Fanô, quo nullum totâ regione magnificentius, cujus postea Turris concidit terræ motu CIↃCCLXII. atquè Ædis ipsa incendio periit. WITTEWERUM, à candidis Monachorum cucullis inditum nomen, hodieque servat, ad distinctionem aliorum WERUMorum. Abest ab Urbe *Groninga* M. P. VII. aquilonem versus.

XXVI. WESTERBRICA.

CElticum **Bruk** vel **Brug** / Pontem denotans, Veteres Latini & Græci, atque secundum hos barbaræ latinitatis Scriptores per BRICAM, *Brigam*, *Brigiam*, *Brivam*, *Briam*, pro dialecti variatione, exprimere soliti quidem sunt: Sed vix est, quod Theodoricus V. Holl. Com. per WESTERBRICAM [cujus meminit in Diplomate anni CIↃLXXXIII. ceu cujusdam Terræ tractûs, in quo Locus singularius *Vronemscale*, propiore situ à *Mosa* quam à *Scipleda*]

Pontem designaverit, hac occidua & infima Parte *Batavorum Insulæ*, rivulo ignobili impositum. Vero igitur magis consentaneum, non Bruk/Pontem; sed Bruch/ palustrem tractum, BRICÆ vocabulo indicari: Illum puto, qui hodie inter *Scipledam* & *Flardingam* De Broek-Polder vocatur.

XXVII. WESTERFLE.

HEnricus III. Imper. in Diplomate anni CIↃ XLVI. ponit hunc locum non longè à dextra *Isalæ* ripa, infra Weggestappelen. Hodie vocari putatur WESSEPE, M. P. V. à *Daventria* in ortum hibernum.

XXVIII. WESTERFUERT.

VEtustissima his terris Ecclesia est, ad *Rhenum Drusi fossione* iterùm divortientem. Quà propter olim *Asciburgium*. Hujus Pastor fuit B. Werenfridus, qui obdormivit anno IↃCCXXXVII. teste Beka (¹);

(1) In S. Willebrordo.

XXIX. WESTREGAUWE.

QUæ superiùs dicta de *Ostregauwe* huc ex æquo pertinent; illorum itaque nil quicquam heic repetere attinet. Membrana Trajectina vocat WESTERGOIAM; vulgò hodie WESTERGO. Præfecturas IX. sinu suo complectitur, Urbes VIII. Inter Patres, qui in *Frisiis* à *Flevo* in *Lavicam*, Remp. suam seorsùm habent, locum obtinet secundum. Glebæ undiquaque felicissimæ est.

XXX. WESTERHEM.

NOn nisi Villa rustica fuit *Haltensis* Parochiæ, quæ, si eadem sit cum Houten in *Interlaco*, periit *Westerhemi* nomen. Comes de *Goye* cessit suo jure in Decimas, Ecclesiæ B. Mariæ *Trajectinæ* anno CIↃ CCXXVIII. [verè XXVI.] uti evincitur vel ex sola ætate Ottonis II. Episcopi Traject., qui litteras signavit.

XXXI. WESTREHESIS.

IN Tabulis anni IↃ CCCXXXVIII. describitur Vicus in Pago *Limers* ad Villam Prætoriam *Duiclingen* pertinens. Hodie HEES, sine agnomine à plaga, M. P. VII. à Deutichem. II. à *Rheno*.

XXXII. WESTERMEER.

HOscheranæ Præfecturæ VII. Silvestrium Vicus est nominis retinens, à *Joura* celebri Foro proximus. In quo Dodo de Hascha Eremicola

Digitized by Google

micola captum mente, manibus pedibusque, per imaginem Mariæ Virginis, ne quis dubitet, sanasse narratur ejus seculi Scriptori in primis superstitioso (a).

(a) In Vita Dodonis.

XXXIII. VVESTERWALDA.

PArs superior fuit *Terræ Reidensis*, sic dicta, quòd ad occidentem Transpaludanis, qui in superiore *Amisiæ* ripa sunt, atque ipsa tota Silvestris & arenosa, quà Paludes recedunt, nec *Dullartus*, pro arenosis limosos agros reddidit cum fœnore. Suos seorsum à multis seculis habuit Prætores, Arcis *Weddanæ* Dynastas, ex qua etiam hodie jus dicit, *Drossati* nomine, ab Urbe *Groninga* missus. Ab ultima memoria peculium fuit Addingiorum Equestris Familiæ; posteà Diversorum, de quibus, ceu recentioris ævi, hîc dicendi locus non est.

XXXIV. WESTCAPPELN.

W*Alachriæ* Municipium est, ad Littus in Mare prominentissimum, jam à primo Christianorum adventu, percelebre ipsius Willebrordi prædicatione. Teste Stokio ad annum IↃ CXCIV. Eidem etiam memoratum ad annum CIↃ CCXVIII. & CIↃ CCLIII.

XXXV. WESTFLINGE.

HEnricus IV. Imperator conquestus; sibi, Patri, Avo, immò & Henrico II. Impp. perpetuò bellandum fuisse cum Successoribus Theodorici II. Comitis, ob bona Ecclesiæ *Trajectinæ* per injuriam adempta; primò omnium aufert Theodorico IV. addicitque Ecclesiæ Traject. quasi commissum, quicquid Theodoricus II. largitione Caroli Simplicis R. consecutus fuerat, *Hecmundam nempe, cum Comitatu WESTFLINGE circa oras Rheni.* Quædam autem *Hecmundanæ* Dicionis ad occidentem *Rheni* fuisse inter *Fortrapam* & *Zuthardeshagam* ex Donatione Caroli R. demonstratum est. Hæc itaque sunt, quæ WESTFLINGIÆ nomine, Imperatori indicantur in Diplomate dato K. Majis CIↃ LXIV.

XXXVI. WESTFRISIA.

POstquam *Franci* Reges & Imperatores, *Frisios* in Libertate relictos, ultra *Kinnemum* rivum se continere jusserunt, *Occidentalis Frisiæ* nomen, pridem à *Flevo* in *Scaldim* & citra celebre, illi Particulæ, cujus latera *Kinnemus* & *Flevus*, Frontem & tergum *Oceanus* & *Flevo Lacus* ambiunt, unicè proprium factum est: Complectens *Frisiabonum* & *Marsatiorum* Veterum orientalia, *Sturiorum* universa. Quæ

 omnia,

Google

omnia, juncta licet *Hollandiæ* per Joannem I. Comitem, nunquam WESTFRISIÆ appellationem amiserunt; vulgò quidem, sed minus rectè, *Northollandiæ* accensita. Cæterùm Sinus, qui post Joannis tempora, *Oceanum* & *Flevonem* junxit, *Sturiorum* partem exiguam ad orientem, lato adeò alveo à reliquis separavit, ut hæc deinceps *Orientalibus Frisiis* accesserit. Ubi igitur, post Hollandici Comitatûs ortum, *Frisiæ Occidentalis*, WESTFRISIÆ, *Westfrigiæ*, *Westlingiæ*, *Westfringiæ* [variè enim scripserunt Veteres] mentio occurrit, quæ sanè frequentissima, nulla alia, quam hæc *Frisiæ* portio inter *Kinnemum* & *Flevum* intelligenda venit; Quæ hodie unam cum *Hollandia* constituit Civitatem, *Hollandiæ* & WESTFRISIÆ appellatione celeberrimam.

XXXVII. WESEPE. WISPE.

ARx Familiæ quondam cognominis, cujus mentio est in Litteris Andreæ Episcopi Trajectini (a) CIↃ CXXXI. Item in Litteris Eggeberti Amstelii (a) proscripti CIↃ CLXX. quibus fatetur injustè se usurpasse Decimas in WISPE, cujus situs in læva *Vechtæ* Citerioris ripa. Hodie *Hollandici* Juris Opidum, *Goylandiæ* accensitum, licet flumine separatum; vix M. P. III. à *Lacu immenso*.

(a) Ap. Hedam in Godeinndo.

XXXVIII. WIA.

BEka refert Ludgerum Episcopum in hostimentum beneficii in se collati à quodam Baldtico Viro Nobili, eidem inter alia dona retribuisse WIAM, dum viveret, utendam fruendam anno IↃ CCCL. Patochia est ad *Isalam*, viæ medio inter *Daventriam* & *Zwollas*.

XXXIX. VVIDEL. WIDEHEL.

HEL seu HELII nomen, quod *Rheni Mosæque* Ostio communi & immenso fecit Plinius, emanasse ab inferiore *Vahalis* alveo, ita à profunditate cognominato, alibi dictum, atque vel hinc, perspicuum est; quòd accessione *Mosæ* latior factus, WIDEHEL fuerit nuncupatus, & Synonymicè *Brehel*, uti & Junio observatum vidi. Apud Rithmographum Hollandum hujus extat luculentissimum testimonium in Vita Joannis II. Hannoniæ & Hollandiæ Principis; Ubi alveum ad *Vahalis* & *Mosæ* Confluentes, vernaculè **Wervliet** / disertim DE WIDEL & WIDELE vocat, id est, additâ aspiratione, LATUM HELIUM, sicuti omnium primus observavit P. Scriverius, Vir tanta ingenii fœcunditate atque Judicii acumine, quo nemo feliciùs in Patriæ suæ antiquitates penetravit.

XL.

XL. WIDENISSE.

WEstfrisiæ Castellum fuit à Florentio V. perdomandis *Frisiis* excitatum anno CIↃ CCLXXXI. De quo Stokius

- - - Hi dede maken - - -
Te *Widenisse* een Castеel
Daer hi dat Lant al geheel
Van Vrieslant mede dwingen soude.

Sed mox post Florentii cædem à *Frisiis* obsidione cinctum, deditione acceptum & solo æquatum. Vicus hodie, veteri nomine, inter *Hornam* & *Enchusam* M. P. à *Lacu Flevone*, Hornâ III. Enchusâ VI.

XLI. WILTABURGUM.

AGri *Trajectini* Castrum est, in *Rheni* ripa læva, quinto tantùm milliari supra *Trajectum*. Idem cum *Fethna* vel *Fechta* adjacente Villa, à qua etiam nomen, cum *Wiltaburgo* promiscuum, hodie perennans. Cessit autem anno IↃ CCXXII. dono Caroli Martelli, tàm Villa, quàm Castrum, Willebrordo Episcopo, unà cum *Castro Trajecto* ejusque vico. Quæ caussa, quòd Venerabilis Beda (a) credidit, uni Castro, in quo Cathedra Willebrordi, duplex esse nomen; alterum Germanicum WILTENBURG; alterum Latinum *Trajectum*. Eademque Sigeberto Geminiacensi ansa condendi novam Gentem, non *Wiltorum*, sed *Vultarum*, ut *Ultrajecti* verum [si Dîs placet] etymon ostenderet, conflatum scilicet ex utroque Castri nomine, quasi *Vultrajectum*. Atque hinc porro J. Bekæ (b) indagandi libido; quibus ex terris hæc nova Progenies? Ex *Sclavis* autem esse, felicibus auspiciis invenit videlicet: Quia nempe horum exigua portio, inter *Albim* & *Sinum Suevicum*, à suis vocentur *Welatabi*, à *Francis Wilzi*; Quod vocabulum credidit ejusdem significatûs esse Interioribus Germanis, cujus Wilt / id est, *Feri*, Littoralibus. Bekanici igitur WILTI sunt, id est, Personati, ficti fucatique, qui *Trajecti* ad *Rhenum* sedes tenuerunt, & sui nominis Castrum munitissimum struxerunt, eversâ, quæ nusquam fuit, Urbe *Antoninâ*. Ipsique posteà anno Christi CCCCIX. à Valentiniano Imperatore, [quorum nullus eo anno] subacti. Non *Sclavici Wilzi*, quos eò penetrasse nemo Æqualium unquam scripsit aut dixit; immò affirmanti vix quisquam crederet, qui per Validissimam *Saxonum* Gentem, *Frisiis* cognatam & sociam, atque ante Carolum M. indomitam, transeundum fuisse consideret. Verum enim vero, veluti unda undam trudit, sic error errorem semper crescens eundo. Sed de hac WILTORUM fabula, iterum erit dicendi locus, ad WITLAM.

(a) Eccl. Hist. Lib. V. c. 12.

(b) Proœm. Chron. Traj.

Arci huic nomen factum à WILT, id est, *Fero*, vix dubitandum est; Sed ideòne magis à Populo adventitio, quam indigena? Ab Hominibus, quàm à Brutis? quis definiverit? Beda quidem WILTABURGUM vertit *Wiltorum Opidum*, ast nulla significatione Populi, nedum *Sclavonici.* Poterit, à Feris fuisse agnominationem; Cùm insolens non sit à re venatoria locis impositum vocabulum.

XLII. VVIMNEN.

PRæfectura est, in *Kinnemariis* seu Veterum *Marsatiis*, prope *Alcmariam.* Ex cujus agris limitaneis, *Wimmero Suetha* dictis, Theodoricus II. Com. Ecclesiæ *Hecmundanæ* obtulit *Mansum & Dimidium, atque ab eodem mansu, usque ad Heram* [hodie Atcum] *quæ ejusdem Ecclesiæ est, omnem terram cultam & incultam, & in agris & in pascuis.* Quibus Theodoricus V. adjecit Liberam omnimodamque pæne potestatem prædictos intra fines. Secundum Diploma illud famosum anni CIↃ LXXXIII. Apud Stokium legitur WINNEN, Rithmographi an Librarii vitio, incertum. Hodie M non modò retinemus, sed geminamus, WIMMENUM pronuntiantes & **Wimmenumer-Twet.**

XLIII. WINENIA.

VAlente Factione *Gelekingia*, quam *Trentones* potissimùm fovebant, huic, cum Episcopo *Trajectino* se opposuêre ex *Frisonibus* cis Lavicam, *Oostergoi*, *Westergoi*, *Silvestres*; Trans amnem, *Groningani* & *Hunsegones*; illum in finem cœtus seorsum agentes, quos *solempne Placitum* vocare moris erat, semel CIↃ CCXXXI. WINENIÆ cis *Lavicam*, cujus, præter Membranam Trajectinam, meminit nemo; Iterùm anno sequenti, *Groningæ* trans *Lavicam*, memorante Emone Werumensi; Quæ Membranæ Scriptori WINENIA, Emoni WINENGE dicta videtur, quò Cognitores Causarum Ecclesiasticarum ab Archiepiscopali sede, extra ordinem delegati, Partes evocarunt anno CIↃ CCXIV. Nobis vernaculè WIINS, pro *Winens*, vocatur. Vicus *Oostergoæ* est, Præfecturæ *Tzietzerkanæ* primarius. M. P. III. à *Lywert*. IX. à *Dockum.*

XLIV. VVINKELMEET.

PRatorum planiciem designari ad Vicum *Westfrisiæ* **Winkel** [**De Winkelmeden**] testatur Peka ([a]) hactenus Stokii interpres; super quibus Arnolfus Comes, commisso cum *Frisiis* prælio, occubuit circa annum CIↃ V. Stokius alibi ad annum CIↃ CLXXX. WINKEN scripsit; sed ad annum CIↃ CXC. iterùm WINKEL. Superest M. P. VI infra *Medenblecam.*

(a) In Balduino I.

XLV.

XLV. VVINZHEM.

VIcus egregius in *Hunsingiis* est, hodieque nominis servans, in quem Jus Patronatus, quod vocant, penes Urbem est, disjunctus ab hac M. P. VII. Meminit ejus Charta Werdensis totidem litteris. Emo WINCHIUM scripsit, ad annum cIↃ CCXXIV.

XLVI. WIRON. WIRINGIA.

T*Exelensis* Pagi quondam pars continens, fortè & Comitatûs; Seculo XIII. primùm avulsa & sensim imminuta, Insula jam modica est. Nomen Tractui facit Inventarium Bonorum Trajectinæ Ecclesiæ, VILLA WIRON, à Wiere/algâ marinâ juxtà nascente, Aggerum insigni munimento. Hodie WIRINGIA vocatur, atque ejus Portio Continenti adhuc adhærens, De Wieringer-waart. Stokio universim Wierincland.

XLVII. WIRTHUM.

VIcus haut procul à *Fivela* inferiore hoc nominis servat WIRDUM, M. P. X. à *Groninga*. Mentio ejus prima est apud Menconis Continuatorem ad annum cIↃ CCLXXX.

XLVIII. WISTRACHIA.

MAris Insulas *Germani* Veteres Oge/ Ey/ Auge/ Age/ à forma Oculi vocarunt; quæ etiam hodie superest denominatio in Schiermonk-Oge/ Rothemer-Oge/ Spiker-Oge/ Langer-Oge/ Wemger-Oge/ Norbern-Ey/ &c. Secundum hanc Fredegarius Scholasticus Insulas, quæ Ostio *Burdipæ* utrinque assident, ACHIAS dixit; atque illam, quæ ad Occidentem Solem, WISTRACHIAM, quæ ad Orientem AUSTRACHIAM. Unde nihil addubitavimus Librarii manifestissimum mendum, quo ANISTRACHIAM scripsit, protinus sine præfatione emendare. Hodie illi nomen proprium SCELLINGIA.

XLIX. WITLA.

HOc nomine, ad *Mosæ* fluvii Ostium, fuisse Emporium à *Nortmannis* incensum, legitur in Chronographia Sigeberti Gemniacensis ad annum IↃ CCCXXXVII. Pithœanæ editionis. Annales Francorum pro WITLA ponunt *Vitham*, Fuldenses verò Annales *Witham*. Sed Heda legit Windlant; Interpretes alii *Wilitham* vel *Wiltam*

tam emendatè ſcribendum putant: nempe ut *Sclavicæ* originis Opidum inde faciant, à *Windis* aut *Wiltis* conditum.

Miratus ſemper fui, necdum demiratus, quî Bekæ authoritas, fundamento Bedæ parùm ſolidò innixa, Noſtrates certatim, & in his Viros ſummos, in opinionem adeò erroneam pertrahere potuerit, ut fidenter, ceu rem minimè dubiam, temerè credulis obtrudant; *Slavos* & *Wiltos* [ſic *Wizos* à Beda vocatos nihil addubitant] *diu ad inferiores Alveos Rheni Moſæque conſediſſe, atque ibidem plurima ſui nominis monumenta condidiſſe & reliquiſſe.* Quâ verò ætate advenerint? quâ teceſſerint vel ejecti fuerint? teſtimonium ferè nullum, nedum idoneum adducentes.

Slavos, & in his *Wilzos* forte, maximè ad *Viſtulam* conſediſſe, atque in *Pannonias*, *Illyricum* & *Iſtriam* ſe effudiſſe ſatis conſtat. In *Saxonia Inferiore* tamen ſedes occupaſſe, multo minus in *Friſia*, tantùm abeſt, ut hos ne quidem infeſtaſſe legantur, niſi ad *Albim* & illos tantùm, qui ultra degunt intra *Sinum Suevicum* & *Oceanum*; idque Caroli M. ætate; Quum *Wiltorum Opidum* ad *Rhenum* [ſi Dîs placet] ſecundum Bedam ipſum (a), jam dudum fuerat in *Francorum* poteſtate, &, ante hæc, diu vel ſemper in *Friſiorum* aut *Romanorum*.

(a) Eccl. Hiſt. Lib. V. c. 12.

Wilzos ſeu *Wiltos*, quos vocant, ad *Rheni* & *Moſæ* Oſtia, novas ſedes occupatum veniſſe, dum Romanæ Legiones *Rhenum* obſederunt, nemo, opinor, dixerit. Neque poſt abducta Romana præſidia, ad *Francos* ab Imperio emancipatos: Cùm interim *Friſii* Oſtiis *Rheni* vel maximè uſi fuerint in *Britanniam* transfretantes, atque adhuc Juſtiniani Principatu ibidem regnarint, finibus etiam in Occidentem *Rheni* prolatis; Teſte Procopio.

Sed nec poſt Juſtiniani exceſſum *Slavis* aut *Wiltis*, circa *Rheni Oſtia*, ſedes fuiſſe, fingi poterit; Cum Res *Friſiorum* & *Anglo-Saxonum* communes, tunc cum maxime florebant, ita ut novis copiis, hinc fortè & aliis ex portubus, in *Britanniam* ſubmiſſis, latè Victores illo Regno potiti fuerint, domique pacate ad *Rheni Oſtia* conſederint, redeuntibus ex *Britannia* Popularibus cum Euangelii face; ipſo Bedâ teſte (b).

(b) d. l.

Igitur pura puta Fabula eſt de WILTIS & *Slavis*, *Rheni Moſæque* accolis, & tot Urbium, Arciumque conditoribus; Ex unico Bedæ verbulo leviter à Beka (c) conficta, atque, in hoc uſque tempus, temerè credita.

(c) In Procem. Chron. Traj.

Ut ad Emporium *Moſæ* redeamus, quocunque demum nomine illud nuncupandum, id certè à *Wiltis*, *Slavorum* portione, minimè traxiſſe, jam præclariſſimè conſtare, agnoſcent omnes, quibus ſolida præ fictis placent; uti nec quenquam locorum heic circum, quibus à *Slavis* vel *Wiltis* ſono non abhorrens vocabulum eſt. Si veritate niterentur, quæ Beda profert de *Wiltorum* Terra, Provincia, Inſula; ſcilicet

scilicet *Wiltlandiæ* nomine quondam venisse, quæ hodie *Zuthollandia* strictè dicta, facile probassem, haut satis pensiculatè licet, Interpretum emendationem, WILTAM legentium; ita ut Regioni ab Emporio [quo nihil frequentius] agnominatio addita fuisse intelligatur. Cæterùm cum Hedæ ejus rei testes idonei desint, ratio nulla est mutandæ Veterum scripturæ. WITLA autem seu WITHA *Mosæ Ostio* apprimè conveniens vocabulum est. Quippe cui affunditur ingens alveus, *Vahali* & *Mosæ* communis, *Lati Helii* appellatione ab antiquo notus, vernaculè WIDEHEL & BREHEL, cujus jam Parte I. facta est mentio, iterumque suprà, ad WIDEL fl. Adeo ut vix dubitandi ratio supersit, quin WITLA sit idem, quod *Widehela*, citra aspirationem, quodque huic Opido, post incendium utcunque instaurarato, fuerit tributum alterum ejusdem significatûs nomen **Bre-Hel**/ hodie contractum in **Briel**; Quod verissimè ad *Widehelam* & *Mosæ* ostium esse cognoscitur, non quidem præinsignis Emporii celebritate, ut olim; Sed cui inter *Hollandiæ* Patres considere non negatum: scilicet ad quod pessundata Libertas, Avorum nostrorum memoriâ, è cruentato luto resurrexit primùm.

L. WITTHELTE.

LOcus est, quo Henricus III. Imp. Bernolfum Episcopum donavit, ex bonis Ulfonis & fratris ejus, in Comitatu *Thrente*. Servat nomen WITHOLTE, inter **Wapsterveen** & **Dwingelo**. In Membrana Trajectina vocatur WITHALTE *ultra Steenwic*, à quo abest M. P. IX.

LI. WOGGENUM.

IN Transactione Trajectino-Epternacensi CIↃ LXIII. hujus memoria est. Extat in suburbanis aquilonaribus *Alcmariæ* vulgò WOGGERUM.

LII. WOLFAERTSDIKE.

EX *Bevelandicis* Insulis quondam una, *Walchriæ* proxima; atque cum illa ex ingenti diluvio servata anno CIↃ CCLXXXVII. secundum illud Stokii

> **Al Zeeland verdzanch zekerlike**
> **Sonder Walchren ende Wolfaertdike.**

Hodie in Euripo inter utramque *Bevelandiam* nominis tantùm superest memoria duobus in viculis.

Dd LIII.

LIII. WORTHEN.

ARx quondam ad *Rhenum*, à qua Equeſtri familiæ (uti Hollandici generis omnibus) nomen Gentilitium de WORTHEN, de WORDENE, de WORDEN, de WOERDEN, prout in Diplomatibus variis CIↃ CXXXI. CIↃ CLXV. CIↃ CCXXVIII. &c. extat. Hanc Epiſcopus Gothefredus, qui anno CIↃ CLXXVIII. obiit, firmiſſimis munitionibus circumdedit, *Trajectenſibus* in obſequio retinendis; Narrante Membranæ Trajectinæ Scriptore. Hodie modicum Municipium *Hollandici* Juris, inde ab Hermanni Woerdani conjuratione nefaria in Principem Florentium. Accepit quidem beneficio Joannis I. Holl. Com. Terram WOERDENSEM Wolfardus Borſelius, Caſtrumque ibidem reſtituit, ſed intra annum vertentem rurſus cum vita amiſit. Teſte Stokio ad annum CIↃ CCXCVIII.

LIV. VV L V E N.

PRæfectura fuit Gentis cognominis, inter *Sciam* & *Goudam* fl. ſecundum Diploma Florentii V. anni CIↃ CCLXXXI. Fallor, niſi hodie WILSVEEN vocetur, quaſi Wilſ-Veen. Paludoſo enim loco fuiſſe teſtatur Comes; WLVEN in Zworch appellans.

I.

Digitized by Google

Y

I. YEERSEKE.

ITa vocat Stokius Vicum *Bevelandiæ* Auſtralis in latere orientali, ad annum clↄ ccc. Qui hodie YRSICH & YRSICKEDAM. M. P. V. à *Goeſa* Opido.

II. YLEKE.

IN litteris Jadenæ Archiepiſcopi anni clↄ cccxiii. Scotano recitatis celebratur YLEKE Eccleſia S. Martini. Non obſcuro indicio, jam ante annum clↄ ccc. extitiſſe. Munitionibus vacuum *Weſtergoæ* Opidulum eſt, ſola foſſa circumdatum. Ruſtica *Friſiorum* plebs, *K* in *TZ* convertere ſolita, ex YLK fecit YLTZ, vel uſitatiore metatheſi YLST. Inter *Ciſlavicanas* Civitates loco penultimo ponitur. Diſtat M. P. II. à Sneeck ſeu *Snitz*, *Friſiæ Orientalis* Opido IV^to^. ſatis eleganti & copioſo. A *Slota*, ordine VIII. & admodum exiguo M. P. VI. Ab *Hindelopa* ſeu verius Hyndloopen/ ordine quidem XI. & omnium ultimo, ſed habitantium opulentia, non paucis ſuperiore M. P. IX. Horum trium autem, quia Æquali Scriptori nuſquam mentio facta eſt, ante ſeculum XIV, ne nobis quidem, præter inſtitutum, facienda erit ampliùs.

Z

I. ZELANDIA.

WAsdæ Pars media, melior, & maxima; hodie inter *Goerëant* & *Catsandriam*, Comitatûs titulum sibi soli retinens, qui quondam universæ communis. Sunt, qui credant ZELANDIÆ novum nomen, huc à *Normannis* è *Dania* allatum, post annum IↃ CCCXXXVIII. Lotharium R. verò anno IↃ CCCCXCVIII. illo non usum, quia aliæ quoque Partes *Frisiæ*, tunc vulgò ZELANDIÆ vocabantur. Quasi à *Normannis* primùm didicissent *Frisii*, quid Mare sit. Longè recentius sanè ea appellatio *Walcheranis*, *Bevelandis*, *Scaldensibus*, *Tolanis*, &c. propria facta est. Immò etiam post receptum Theodorici Posteris *Hollandiæ* titulum, seculo XI. vergente. Nec asserere ausim, quenquam seculi XII. Scriptorum, *Walcheranis* & Sociis, *Zelandiæ* vocabulum seorsum asscripsisse, tanquam proprium non appellativum. Stokium, Bekam & recentiorum alios, id ita usurpasse de anterioribus temporibus palam est; Sed per prolepsin; sicuti quidem de *Hollandia* apud omnes in confesso est. Ex Comitibus verò, quod sciam, ante Wilhelmum Imperatorem, has Insulas ZELANDIAM proprio nomine vocavit nemo. De Wilhelmo extant Diplomata duo anni CIↃ CCLII. Secutos Cæsarem Comites, ZELANDIÆ titulô perpetuò usos nimis notum est, nec eget adductis testimoniis. Falsus itaque Haræus, qui Florentio Wilhelmi Imper. filio, non à Patre, sed à Socero Flandro, ZELANDIAM obvenisse asserit.

Cœterum decessisse huic Civitati, ad orientem Insulas, quæ inter *Scaldiam* & *Mosæ* Ostium sunt; Et ad occidentem, quicquid est inter *Ottonis Fossam* & Veteris *Scaldis* Ostium *Zuin*, omni dubio caret. Quo verò tempore Orientalia, *Hollandicæ* Reip. pars affecta, parum liquet: Magis, quòd Occidentalia *Flandriæ* accesserint Ottonis Magni fossione.

II. ZELHEM.

COmitatus *Zutfaniensis* Villa Prætoria est, in ipso meditullio; Quam beneficio *Gelrico* recepit Hermannus Comes de *Loen*; secundum Codicillos anni CIↃ CCLV.

III.

III. ZEVENAR.

LOcus intra fines *Zutfaniæ*, Quem Capitulum S. Mariæ Traject. vendidit Othoni *Gelriæ* Comiti annô CIↃ CCLVI. Teste Pontano (a), qui vidit autographum. Postea factus juris *Clivensis*. Hodie tenue Opidulum servans nomen, medio situ inter *Altinas* & *Fossæ Drusinæ* principium.

(a) Hist. Geln. Lib. VI.

IV. ZEVENHUSEN.

HUjus mentio fit in Diplomate Florentii V. anni CIↃ CCLXXXI. non modo ceu Vici, sed & *Officii*, id est, Præfecturæ: Servat nomen inter *Sciam* & *Goudam*. M. P. vix IV, à proxima *Isalæ* ripa dextra.

V. ZILE.

ZILE **bi den Zine**/ vocatur Stokio (b) *Aqua*, Bekæ (c) *Lacus*, in quo, ex fugiente à *Vorscota* Ludovici Lossensis exercitû plurimos suffocatos Uterque tradit anno CIↃ CCIII. Hodie ZILE est inter *Rheni* elices paullo supra *Lugdunum*, transiens, post M. P. II. in Lacus Minores, & mox desinens in *Lugdunensem* majorem. Assidet illi Arx antiqua Gentis quondam cognominis, cujus in vetustis monumentis subinde recurrit mentio.

(b) In Ada.
(c) In Theod. II.

VI. ZIPE.

WEstfrisiæ Locus *Texelam* prospectans, ad quem ex *Ostfresia* Eques ad volavit Wilhelmus I. intellectâ morte Fratris Theodorici VII. anno CIↃ CCIII. narrante Stokio (d). Hodie Continentis *Hollandiæ* seu *Westfrisiæ* angulus pæne extremus est, ad *Sinum austrinum*, qui vel hinc cognoscitur tunc nondum extitisse.

(d) In Ada.

VII. ZIRICZEE.

ZElandicarum Urbium post *Middelburgum* præstantissima, inter omnes ordine III. Prope abest à *Scaldis Orientalis* Ostio, dextro in Latere, intra Insulam *Scaldiam* strictè dictam, ad Euripum non adeo latum, qui inter hanc & *Duvelandiam* perfluit. Vocabulum notat *Siricii Insulam*. Sanctus ille fuerit an Profanus? non liquet: Clari saltem nominis Virum suo tempore fuisse nulla ambigendi ratio est. L. Lemnius Civis indigena; Mœnibus cinctam scribit anno IↃCCCXLIX. imperante Lothario I. idque se testari, citra omnem ambitionem aut immodicum in Patriam affectum: Sed meminisse vellem Virum Optimum; Domestico Testi maximè opus esse adductu non dubiam auctoritatem. Magnæ existimationis fuisse inter Urbes, quas dicione tenuit Theodoricus VII. satis cognoscitur

ex Stokio, cui & sæpiùs laudatur à fide immota in Principes, & vicissim à Principum fiducia in illam reposita.

VIII. ZOUTELANDE.

(a) In Flor. V. *Walachriæ* Vicus littoralis est Africum respiciens. Mentionem ejus facit Stokius (a) ad annum cIↃ ccxcıv. Retinet nomen M. P. V. à Metropoli.

IX. ZUTFANIA.

Oppidum & Comitatus nominis pervetusti, tracti, omnium consensu, à Paludibus, quibus ad Austrum sunt, quasi Zupt-Veneu/ id est, Paludes australes. Opido antiquitatis insigne testimonium præbent Instrumenta authentica duo Episcoporum Trajectensium, alterum Wilhelmi cIↃ LIX. in quo scriptum SUTFENNE; alterum Burchardi cIↃ cv. quæ I. Is. Pontanus Rerum Gelricarum Commentator locuples in Archi-
(b) Lib. VI. vo Zuitfaniensi asservari testatur; (b) Atque in hoc contineri; *Episcopum renovasse, vetera illius Ecclesiæ privilegia, quæ inspexerat longo situ propè deleta.*

Euangelii autem Lucem huc primò allatum à Suitberto, Willebrordi Socio, sub finem seculi VII. gravis in primis Author est Venerabilis
(c) Hist. Eccl. V. cap. 11. Beda (c) Narrans *Boructuarios* Rheno proximos [sic *Bructeros* vocat, in quibus hic Comitatus] qui Christo nomen dederant, fuisse dissipatos à *Saxonibus*, quos *Antiquorum* cognomento distinguere videtur, ab illis, qui *Frisiis* permisti. Unde apertum *Bructerorum* nomen, tunc adhuc his terris hæsisse; sive à reliquiis illorum, quos ad *Herciniam* usque Silvam Sedes promovisse Parte I. dictum est, sive, quòd vetus vocabulum novis Colonis etiam fuerit tributum maximè apud exteros: Exemplo non novo in ipsis, qui excesserunt *Bructeris*, quibus promiscua appellatio *Sigambrorum* & *Bructerorum* in *Sigambria* adhæsit.

Comitatum in fide Episcopi *Trajectensis* fuisse, non modò Burchardi Diplomate indicium fit, sed disertim constat, ex Vassorum Liberorum Ecclesiæ Traj. Catalogo; non anni cIↃ XXI. quem falsò præfert, cœterum valde vetusto, teste Buchelio Arbitro elegantissimo. Veterum
(d) Hist. Gelr. V. Comitum genealogiam repetit Pontanus (d) ab initio Seculi IX. Bello Gelro-Trajectino cIↃ CCI. depopulationem passa est Regio, Urbs obsidium; Anonymo Æquale, qui Membranam Trajectinam reliquit, Auctore. Quàm insignis hîc fuerit Præpositura, vel hinc liquet; quòd ex ea, ad Cathedram, primo Padæbornensem, dein etiam ad Trajectensem evectus fuerit Wilbrandus anno cIↃ CCXXVII. Conjugium Ottonis Nassavii Gelriæ Comitis & Sophiæ Zutfaniensis, Posteris utrumque conjungendi jus paravit. Estque hodie Pars II. *Gelriæ* in VII-Fœderatis primo loco considentis.

Limites habet à Septentrionibus *Transisalaniam*, à meridie Diœcesin *Monasteriensem* & Agrum *Clivensem* Transrhenanum; reliquum *Salæ* præ-

Digitized by Google

prætexitur: Ubi & Solum maximè felix, alibi arenis aut paludibus non æquè. Urbs ipsa, multis privilegiis decorata, pulchra, ampla, munita; Assidet dextræ ripæ *Isalæ*, ubi confluit *Bercola* fluvius, M. P. V. supra *Daventriam*.

X. ZUTFLICA.

IMperatori Ottoni II. in Diplomate anni IↃCCCCLXXIV. circa *Bevelandiam* ponitur: Vicus an Euripus? incertum. Hodie saltem Fluento inter *Bevelandiam* & *Wolfaersdicam* ZUTFLITÆ nomen est.

XI. ZUTHARDES-HAGE.

HUjus meminit Arnulfus Imp. in Diplomate anni IↃ CCCLXXXIX. tanquam limitis australis, illius Comitatûs, quem Patruus suus Carolus Crassus Imp. Gerolfo Frisio constituit hæreditarium ad *Oceanum*. Quia verò Nepos Villas Quæstorias [Hobas vocat, Mansas, Curtes, id est, **Renterien**] VIII, hosce intra fines, suo dono nominatim adjecit, quæ adhuc extant; non adeò difficile est, ductum omnem SUITHARDESHAGE investigare, & nomen ipsum quoque retegere. Est autem **Suitharde&shage** / uti jam occupatum, Limes australis Comitatûs Gerolfiani, pæne à *Rheno* ad *Mosam* ducens, oppositus Septentrionali, qui ipse *Oceanus*. *Zuthardes* enim Veteres per TH. scripserunt, quòd nobis per D. **Zuderste** scribitur. Et **Hage**/ id est, sepes, hîc limitis loco fuit. Ad quam, denominationis à ZUTH præclara hodieque supersunt vestigia, in **Zuiten**/ **Zutherwou**/ **Zuther-Meer**/ &c. Hisce autem finibus contineri VIII-Hovas pater ex dictis ad **Alburch**/ **Aske**/ **Bodekenlo**. *Hornum*, **Hup**. *Northam*, *Ostretashem*, *Theolf*; sed occiduæ partis ferè omnes; restantibus inter *Fortranam* & *Zuthardeshagæ* proxima, pluribus Villis *Hecmundanæ* Dicionis, quæ Caroli Simplicis Fr. R. largitione accesserunt, quam primum ille *Lotharingiæ* possessionem nactus fuit, anno IↃCCCCXIII. Henricus IV. hanc partem *Westflingiæ*, *Comitatûs* titulo insignivit, anno CIↃLXIV. de quo suo loco.

XII. ZUTHEMPE.

POnitur hic locus Henrico III. Imp. in Diplomate anni CIↃ XLVI. infra *Erbekam*, *Isalam* versus. Reperiturque hodie ad eundem cum *Erbeka* rivulum, austrino latere EMPE, & ultrà non longè Nort-EMPE, certo argumento Citeriorem aspirantibus esse ZUTHEMPE.

XIII. ZUTHERA.

ZUtflicæ vicinus hic ponitur Vicus in Diplomate Ottonis II anni IↃ CCCCLXXIV. Quondam Insulæ *Wolfaertsdicæ* portio fuisse videtur.

XIV.

XIV. ZUYT-HOLLANDIA.

Ager est ad utramque ripam *Vahalis*, quà jam æstum Maris patitur, & hodie *Merwedæ*, olim *Helii* appellationem recepit. *Teisterbantiæ* quondam Inferior pars, quam terminavit à Septentrionibus *Isala*, à Meridie *Mosa Vetus*; quod ultra est, Imperatorum largitione, *Striensi* Pago adjectum fuit. Vetustissima Monumenta, ante prolatum HOLLANDIÆ nomen in Septentriones, hunc tractum, citra distinctionem à plaga, HOLLANT dixêrunt. In Inventario Bonorum Trajectensium, seculo IX. non recentiore, scriptum est HOLTLANT; non ex usu crediderim, sed quia Martinianus Procurator in eo, vocabuli etymon reperiri existimaverit; quam in opinionem & Bekam & alios pertraxit. Henricus IV. Imp. enim in Diplomate anni CIↃ LXIV. hanc *Teisterbantiæ* Partem, in qua Theodoricus III. sibi armis quæsiverat novum Comitatum, HOLLAND vero nomine nuncupat: Non modo illum, ceu injuriâ usurpatum, Posteris ejus adimens, sed omne præterea, quod ex legitima Donatione Caroli Simplicis & Lotharii Franciæ Regum tenebant: Addictis Episcopo *Trajectino*, quæ *Mosæ* ad Orientem; *Flandriæ* Comiti, quæ ad Occidentem, Stokio teste. Neque Theodoricus V, hæc omnia redeptus, adjectis etiam, quæ hoc tractu defuerant, aliâ scripturâ, quàm HOLLANDIÆ usus est. Quam & Primi & Seri retinuerunt Successores. Ab hoc autem tempore; Quia HOLLANDIÆ nomen in veteres Diciones ad *Kinnemum* usque extensum voluit idem Theodoricus: ZUYT-HOLLANDIÆ & NORT-HOLLANDIÆ deinceps evaluit distinctio, ita ut VETUS HOLLANDIA, diu sibi soli vindicarit ab *Austro* cognomen; longè post in ulteriora prolatum.

XV. ZWOLLÆ.

Plurium numerô enunciant Anonymus Membranæ Trajectinæ, & Beka Rerum Trajectensium Scriptores. Ex Majoribus *Transisalanæ* Urbibus ordine quidem postrema; sed amplitudine ferè maxima. De Origine tum Urbis, tum nominis, nihil certi constat. Willibrandum Episcopum ZWOLLIS moras egisse anno CIↃ CCXXX. Anonymus; atque ibidem vitæ terminum adimplevisse anno CIↃ CCXXXIII, Beka referunt. Sita est unis Millibus passuum ab *Isala* & necdum III. à *Vechta*, cui duplici fossâ jungitur. Abest verò à *Campis* M. P. VI. à *Daventria* XVI.

FINIS.

I.

INDEX

DICTORUM

QUÆ

Ex AUTHORIBUS vel INTERPRETIBUS,

Quorum heic usus fuit,

Adducuntur, laudantur, asseruntur, explicantur, emendantur, restituuntur; vel arguuntur, refelluntur, exploduntur.

A.

B.

C.

D.

DIplomata, Codicilli, Instrumenta, Tabulæ &c. Antiqua, secundum ætatem.

I.

Imperatorum, Regum, Pro-Regg.

Ær. Chr.

Iterum T. 24.

Ottonis III. Imp. Apud Douzam F.

985 VIII. K. Sept. G. 6. H. 54. I. 5. K. 3. L. 26. M. 12. R. 25. S. 41. 51.
Restituuntur C. 10. T. 4. W. 13.
996. XV. K. Jan. Apud Pontanum. A. 25. 43. B. 8. 52. C. 12. 16. E. 5. F. 6. H. 11. 26. 38. 57. L. 19. 25. M. 3. N. 2. 16. O. 2. P. 14. R. 1. 3. 4. 15. S. 2. T. 7. 14. 35. V. 23.
Emendatur A. 39. C. 10. F. 10. M. 6. Q. 2. V. 19.
998. III. Id. Apr. Ind. XI. loco XII. A. 41. B. 37. T. 3.

Henrici II. Imp. Apud Hedam.

1002. III. Non. Sept. Ind. XV. malè 1003. E. 4. T. 24.
Restit. R. 22.
1003. III. Non. Sept. Ind. I. male 1013. Apud eundem. A. 41. B. 37. E. 4. T. 3. 24.
1006. VIII. K. Maj. F. 16. T. 3. 27. 29.
1024. Non. Jan. T. 29.

Conradi II. Imp. Apud Hedam.

1025. VII. K. Aug. T. 29.
1027. XVIII. K. Jul. T. 3.

Henrici III. Imp. Apud Hedam.

1040. XII. K. Jun. P. 6. T. 30. V. 20. W. 24.
Secundum. C. 12. E. 19. L. 24.
Tertium. G. 24. L. 6.
1042. Id. Oct.
Explicatur F. 27.
1046. X. K. Sept. A. 8. 27. 46. D. 3. 4. E. 15. F. 2. 12. H. 57. L. 39. Q. 2. R. 1. S. 46. W. 18. 27. Z. 12.
1049. V. Id. Jul. A. 17.

Henrici IV. Imp. Apud Hedam.

1064. II. K. Maj. F. 12. 18. H. 21. W. 35.
——— VI. Non. Maj. A. 12. 16. B. 33. C. 20. D. 25. 20. G. 25. H. 33. 54. 55. K. 6. L. 1. 11. M. 19. 24. N. 13. P. 4. R. 12. 13. S. 22. 31. 54. T. 17. V. 1. 18. W. 1. 24. Z. 11. 14.
1077. V K. Junii.... B. 53. F. 2.
——— III. K. Nov. I. 7. S. 41.
1086. VII. Id. Febr. F. 10. H. 54. I. 7. O. 7.
——— III. Non. Apr. apud Buchel. I. 7. O. 7.

Mathildis Aug. Henrici V. Imp. Viduæ.

1125. VII. K. Jun. Ind. 3. Apud Hedam. R. 10. W. 3.

Lotharii II. Imp.

1125. H. 54.
1134. IV. Id. Apr. Apud Pontanum. A. 11. 25. 43. 44. B. 8. 52. C. 16. D. 17. E. 5. F. 3. 6. H. 11. 26. 38. 57. L. 19. 25. M. 3. O. 2. P. 14. R. 1. 3. 4. 15. S. 2. T. 7. 14. 35. V. 23.
Emendatur A. 39. F. 10. H. 74. M. 6. Q. 2. V. 19.
Explicatur W. 14.

Conradi III. Imp. Apud Hedam.

1138. V. Id. April. A. 52. O. 5. 11.
1145. XV. K. Nov. H. 54. K. 10. M. 2. 6. 16. O. 11. R. 8.
Iterum M. 6. T. 24.

Friderici I. Imp. Apud Hedam.

1165. D. 12. I. 11. M. 2. N. 8. O. 11. S. 54. W. 53.
1166. B. 19. H. 54.
1172. Mens. Maj. Apud Pontanum. N. 16.

Henrici VI. Imp. Apud Hedam.

1195. II. Non. Mart. Apud Hedam. male Ind. XIV. 1190.
Emendatur F. 2.

Philippi Imp. Apud Hedam.

1200. Kal. Oct. G. 1. T. 24.
1204. Apud Divaeum. D. 4.

Frederici II. Imp. Apud Pontanum & Hedam.

1220. XIII. Kal. Maj. A. 3. T. 10.
Explicatur A. 43.
1222. IV. Id. Jan. Apud Hedam. D. 3. H. 59. L. 30. S. 2.
1223. Prid. Non. Jan. A. 43. H. 62. L. 30. S. 2.
Sine Anno II. Kal. Maj. A. 43. H. 62. L. 30.

Henrici Frid. F. Reg. Rom. Apud Hedam.

1225. X. Kal. Mart. S. 2.
1226. X. Kal. Mart. S. 2.

Wilhelmi Imp. Apud Buxhornium.

1145. IX. K. Dec. H. 14.
1248. XVII. K. Jul. Apud Hedam. G. 19. N. 16.
1252. XIV. K. Jul. T. 24. Z. 1.
——— XV. K. Jul. Z. 1.

Rudolphi Imper. Apud Pontanum.

1290. IV. K. Aug. O. 11.
1291. III. Non. Jun. S. 46.

Adolfi Imp. Apud Pontanum.

1295. XII. K. Aug. S. 46.

Alberti Imper. Apud Pontanum.

1299. VII. K. Maj. O. 11.

II.

Episcoporum Trajectens. & Aliorum Ecclesiasticorum.

III.

Principum & Civitatum.

Ludovici Lopensis Adæ Holl. Com. Mariti. apud Hedam.

1204. H.44. I.7. M.40. S.54.

Hugonis & Aliorum Principum apud Hedam.

1204. I.6. O.11.

Wilhelmi I. Holl. Com. Ap. Hedam.

1204. E.21. H.44. M.40. S.54. W.19.
1213. Menf. Dec. apud Buxhornium B. 45. C. 23. D. 19. K. 7. M. 27. O. 6. S.1. T.20.
1221. F.12. M.9. P.5. T.6.

Adæ Mar.' Br. Florent. III. Holl. Com. F. apud Buxhornium.

1205. K.6. T.6.

Mariæ Wilhelm. I. H C. Viduæ apud Buxhornium.

1213. Mense Junio T.2.

Florentii IV. Holl. Com. apud Buxhornium.

1223. M.33.
1232. d.2. Mart. B.55. S.17.

Gerbardi III. Gelriæ Com. apud Hedam.

1225. d.19. Octob. B.12.19.58. E.4. G.19. M.42. N.9. S.2. T.11.

Wilhelmi Holl. Tut. apud Buxhornium.

1236. VI. Id. Jan. K.6. L.11. M.35. P.5. R.26.

Ottonis III. Gelr. Com. apud Pontanum.

1236. VIII. K. Jun. B.40. G.27.
1255. Mense Jun. A.36. D.11. G.2.7. H.35. L.15. Z.2.
1256. d.28. Dec. H.27. L.23.

Wilhelmi II. Holl. Com. apud Buxhornium.

1242. d. 22. Sept. M.10.

Hermanni de Loen Com. apud Pontanum.

1246. d.2. Aug. B.47.
1255. d.28. Sept. G.2. H.35. Z.2.

Aleidis Holl. Tut. Apud Buxhornium.

1258. d.24. Feb. K.6. P.9.
1260. d.13. Oct. D.10. N.3. S.17. W.9.

Florentii V. Holl. C. apud Buxhornium.

1266. B.19. L.11. T.2.
1272. d.21. Jul. G.21. L.11.
1274. d.13. Feb. L.11.
1275. d.21. Oct. A.31. C.2. G.8.
1275. d.25. Oct. A.21. G.8. V.25.
1277. d.22. Aug. L.38.
1280. d.13. Maii Apud Pontanum. H.9. N.2.
1281. d.8. Sept. Apud Buxhorn. B.31.33.35. F.17. G.18. R.25. S.10. W.54. Z.4.
1284. VIII. Sept. T.17.
1290. Fer. III. Paschat. M.27. T.17.

Johannis I. Holl. Com. Apud Buxhornium.

1299. T.17.

Johannis II. H. C. Apud Buxhornium.

1305. B.19.

Translavicanorum Apud Emmium.

1258. V. Id. Jun. A.6. F.9.
1283. d.24. Sept. G.4. S.24.
1315. H.73.
1342. A.6.

Delfensium Apud Buxhornium.

1260. d.24. Jun. T.6.

Coloniæ Agrippinæ Apud Hedam.

1262. d.31. Oct. M.7. T.24.

Gerhardi Holfatiæ Com. & Coss. de Hamburch Apud Pontanum.

1280. Ter. . . ant. Pasch. C.3. H.16.
—— Pr. Pentec. H.16.

Daventriensium Apud Pontanum.

1291. C.16. H.16.

Cislavicanorum Apud C. Scotanum.

1300. Mens. Mart. B.17. L.29.

IV.

Comitum minorum gentium, Equitum, Matronarum.

Ær. Chr.

Umbrachi Nobilis Apud Hedam & Buchelium.

824. VII. Kal. Jan. H.57. P.12. T.4.

Geroaldi Apud Hedam.

828. VII. Id. Feb. A.10.53. E.5. H.28.46.71. L.2. W.12.

Rotgarii Com. Apud Hedam.

838. A.11. B.44.53. D.16. F.2.28. G.28. H.37.45.46.63.68. L.16.34. S.37. T.12.15.16. W.3.21.31.
Emendatur L.46. S.50.

Baldrici Col. Apud Hedam & Buchelium.

850. A.54. B.16. E.17. H.3.8.42.47. M.3.14. S.58. T.1. V.3.7. W.2.34.

E.

F.

G.

H.

Heda

Digitized by Google

I.

K.

L.

M.

O.

P.

R.

S.

T.

V.

W.

Z.

II.
INDEX
GEOGRAPHICUS
LOCORUM OMNIUM
Etiam forte memoratorum.

Lemmata *majori*, Vetera *Romano*, Mediæ ætatis *inclinato*, Hodierna *Teutonico* fignantur charactere.

A.

E.

F.

G.

H.

M.

MEN-

N.

O.

Ryssel

Google

S.

T.

V. *Va-*

V.

W.

III.

III.
INDEX
VOCUM BARBARÆ LATINITATIS,

obiter explicatarum.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

I V.

I N D E X

VOCUM GERMANICARUM

Subinde explicatarum vel indicatarum.

INDEX IV. VOCUM GERMANICARUM.

F.

G.

H.

I.

K.

L.

M.

Mark,

Wa-

Z.

F I N I S.

INDEX
RERUM, VERBORUM ET LOCORUM,

quæ in prioribus Indicibus non reperiuntur,

IN PARTEM UTRAMQUE OPERIS.

Literæ majores notant Partem I. *Minores* II. *Tab.* Expositionem Tabulæ Ptolemæi.

A.

Digitized by Google

D.

E.

F.

Flo-

Digitized by Google

H.

I.

N.

O.

Ostra-

P.

Q.

R.

Theo-

W.

Z.

F I N I S.

Parte II. *pag.* 169. T. 2. *voce* TEYLINGEN. *legendum:* nulla ante Bavarum Principatum recurrit mentio.

A01 1468588

Digitized by Google

Digitized by Google

W.

Z.

F I N I S.

Parte II. *pag.* 169. T. 2. *voce* TEYLINGEN. *legendum:* nulla ante Bavarum Principatum recurrit mentio.

A01 1468538

Digitized by Google